



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini  
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitarvm In Occidente Litterarvm Ad Nostra Tempora

**Brucker, Johann Jakob**

**Lipsiae, 1744**

Capvt Octavvm. De Godofredo Gvilelmo Leibnizio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28327**

CAPVT OCTAVVM.  
DE GODOFREDO GVILELMO  
LEIBNIZIO.

§. I.

**P**roduximus hactenus in scenam viros summos quos emendandae philosophiae genuit Italia, Anglia, Gallia, quove euentu in for-  
mandis veris eius vultibus sedulitatem atque ingenium probauerint, pro instituti modo enarrauimus. Restat Germania nostra, quae tantae felicitatis, quantam vera de rebus ad cognitionem humanam pertinentibus cura promittit, memor serius quidem, quam reliquae Europae regiones, at satis eleganter exoptatoque successu in restituenda philosophia eclectica desudauit. Cui par tanto conatui largita est prouidentia diuina ingenium, GODOFREDVM GVILELMVM LEIBNIZIVM; quem si reliquis, quos vnquam orbis literarius produxit, heroibus adnumeremus, et inter maximos aetatis recentioris viros colloce-  
mus, nihil faciemus, quod non recte nos fecisse, et ciuitatis eruditae consensio, et sequens viri summi demonstrabit historia. Tanta enim tamque ingentia sunt viri famigeratissimi, et non πολυσηφεις tantummodo laude celeberrimi, sed mathefos quoque et philosophiae cognitione admirandi merita, vt quantum ex eo ornamenti ad patriam, quantum vtilitatis ad literas omnes, maxime ad philosophiam, et quae cum ea conspirat mathematicam disciplinam acceperit, nemo ignoret, qui non rerum in orbe erudito gestarum plane rudis est atque hospes. Is cum post Cartesium nouam philosophiae faciem valde memorabilem effinxerit, inter restauratores philosophiae eclecticae suo iam merito est enarrandus.

*Germaniae industria in excolenda philosophia eclectica.*

§. II. Tanta cum laude artibus propemodum et disciplinis omnibus illustrandis, augendis, emendandis per totam septuaginta annorum vitam infudauit illustris Leibnizius, vt et viuus ignoraretur a nemine, de scientiarum fatis curioso, et post fata non deessent, qui viri summi historiam, meritaque de literis commentariis exponerent. Quod saxum voluendum sibi delegerat ipse Leibnizius, qui ad PELLISSONIVM <sup>a</sup> historiam vitae, morum, laborum et cogitationum transmisit, quam in vulgus non exiisse eo magis dolemus, quo magis in explorandis ingenii animique viribus atque moribus maximam vir summus perspicaciam probauit, in epistolis autem ad amicos scriptis luculenter prodidit, eam sibi *Φιλανθρως* vim atque imperium non inesse, quod vel veritati officeret, vel inanem ipsi gloriae sine meritis affectationem commendaret. Fatis functus, cum maximum sui desiderium reliquisset in eruditorum animis vir incomparabilis,

*Scriptores historiae Leibnizianae.*

<sup>a</sup>) Vid. PELLISSON Lettres de la tolerance p. m. 319.



bilis, nonnullorum in eo versata est industria, ut biographiam eius luci publicae sistendo illud aliquatenus lenirent, et quid in eo amiserint literae, quantisque per eum accessionibus auctae fuerint, accurate docerent. Fecerunt id, fatis erepto Leibnizio, plerique, qui commentarios de rebus literariis, tum edidere: laudabili exemplo praeeunte, quae nostri patria fuit Lipsia, in quo bonarum mentium optimarumque scientiarum emporio, post *Nova literaria*<sup>b</sup>, singulis hebdomadibus vulgari solita praestantissimi *Actorum eruditorum* collectores<sup>c</sup> Leibnizianam memoriam, condito ex more elogio immortalitati consecrarunt. Qui cum scire res magni viri potuerint, quocum familiariter vixerunt, et prolixo quoque eas exponendi occasionem habuerint, nobis ante omnes duces eligendi sunt, ut, quis in orbis literati theatro fuerit Leibnizius intelligi possit. Quamvis enim prolixiora dare et ex instituto summi mathematici et philosophi historiam conscribere susceperint VV. CC. SEBASTIANVS KORTHOLTVS<sup>d</sup>, IO. GEORGIUS ECKARDVS<sup>e</sup> et DANIEL EBERHARDVS BARINGIUS<sup>f</sup>, nihil tamen haecenus eorum lucem vidit. Secuti sunt acta eruditorum scriptores ephemeridum literariarum<sup>g</sup> alii, certatim in id conitentes, ut defuncti memoriae iusta soluerent et nominis eius gloriae calamos suos dicarent. In quo tamen pietatis et humanitatis officio nemo superasse censei potest, elegantissimae eruditionis virum BERNARDVM FONTENELLIVM. Cum enim diu academiae scientiarum, quae regis auspiciis Parisiis floret, membrum fuisset Leibnizius, atque ex more laudatissimo eius ad lares meliores translata vita, merita, laudes in confesso academiae essent enarrandae, instructus notitia de tanto viro ab Eccardo Leibnizii familiari vir facundissimus, elegantissimum herois incomparabilis elogium anno MDCCXVII, Id. Nou. recitavit. Quod cum plausu omnium exceptum *Historiae illustris societatis* a se conditae inseruisset Fontenellius, nostris quoque hominibus vernacula legendum traditum et *Theodiceae Leibnizianae*<sup>h</sup> cum observationibus nonnullis adiectum est. Cuius editio cum recederetur, adiectae sunt annotationes tum ab Eccardo, tum ab anonymo, quem Baringium esse, verisimillimum viris doctis<sup>i</sup> visum est. Quamvis autem ab homine familiari, rerumque Leibnizii peritissimo memoriae istae profectae sint, quibus vsus est Scriptor Gallus, dolendum tamen, et elogii indolem obstitisse Fontenellio, quo minus iustam tanti viri historiam conderet, et relationes nonnullas suspectas, quasdam falsas esse. Tacemus alios, qui vitam Leibnizianam pro scopo instituti sui tetigerunt, quod post IO. FABRICIVM<sup>k</sup>, IOACHIMVM FRIDERICVM FELLERV<sup>l</sup>, CHRISTIANVM

NVM

b) 1717. p. 369.

c) 1717. Jul. art. 12. p. 312. seqq.

d) *Nova lit. Lips.* 1719. p. 80. Is imitaturus erat Gassendianam vitam Peirescii.

e) Elogium FONTENELLII, l. c. de quo tamen dubitat anonymus obseruator ad h. l.

f) *Nou. lit.* 1723. p. 374.g) *Journal des Savans* 1717. Dec. art. 5. Europe

savante 1718. Nou. art. 7. Mem. de Trevoux 1721. art. 3.

h) p. 142. seqq.

i) Cl. LVDOVICI l. citando c. 1. §. 4. p. 4.

k) *Hist. bibl. suae* Vol. I. p. 317.

l) Is Otio Hannoverano additiones ad vitam Leibnizii in A. E. enarratam praemisit. Fuit autem is quoque ex familiaribus Leibnizii.



NVM GRVNDMANNVM <sup>m</sup>, FRID. GENTZKENIVM <sup>n</sup>, IAC. FRID. REIMMANNVM <sup>o</sup>, THEOPH. STOLLIVM <sup>p</sup>. Germanos ex Gallis fecit elegantissimus NICERONIVS <sup>q</sup>. Horum tamen omnium studium cum imperfectum merito visum fuerit, magno eruditi orbis commodo et plausu integram atque suis numeris absolutam Leibnizii historiam scribere suscepit vir eruditissimus, et de philosophiae recentioris historia praeclare meritus CAROLVS GVNTHERVS LVDOVICI. Debemus indefessae diligentiae et pulcherrimae eruditionis viro prolixos commentarios de *Philosophia Leibniziana* <sup>r</sup>, (ita enim inscriptio habet,) quos tamen historiae Leibnizianae philosophiae prodromum tantum et delineationem ampliorem esse voluit, illam suo tempore plenissimam descripturus. Adeo vero in iucundissimo et erudito libro accuratorem, ordinem, perspicuitatem et fidem praestitit vir doctissimus, ut ad hunc vnum fontem lectorem tuto ablegare possimus, ceteras vnde sua hausit auctor, scaturigines ex eo facile reperturum, idque vnum doleamus, Latino sermone non exaratum istum librum esse, ut quantus vir fuerit Leibnizius, etiam exteris inde luculentius constet. Nos secundum leges instituti nostri consultis virorum doctissimorum, quos nominauimus, laboribus, ipsa quoque Leibnizii scripta, maxime *Epistolas* ab eruditissimo CHRISTIANO KORTHOLTO edita <sup>s</sup>, et *Collectanea* ex ore viri summi a Cl. FELLERO hausta <sup>t</sup>, quaeque in ephemeridibus passim occurrunt, ad Leibnizii historiam pertinentia consulimus, et breuem quidem ac succinctam ut descriptionis nostrae modus postulat, veram tamen et a partis studio alienam dabimus illustris philosophi historiam.

§. III. Edidit polyhistorum Leibnizium Lipsia, tot ingeniorum praeclarissimorum mater etatrix, anno dō 1691, IX. Cal. Iul. st. v. parentibus familiae decoribus <sup>u</sup>, et literarum meritis conspicuis, patre Friderico Leibnizio, facultatis philosophicae affessore, et moralis doctrinae doctore publico viro eruditissimo <sup>v</sup>, matre Catharina, Guilelmi Schmuckii, I. V. D. et professoris filia. Cum parentum vterque, et naturali ingenii acumine et reliquis quoque praesidiis abundaret, quibus ad praeclara quaeuis formari solent elegantiora ingenia, feliciori natiuitatis sorte in vrbe tanto successu Musis operante, Leibnizius uti non potuit. Patrem autem sexennis puer amisit, a matre, magnae prudentiae et pietatis foemina rite educatus. Qui cum

*Natiuitas et  
educatio  
Leibnizii.*

m) In Ossibus et cineribus literarum anno 1716. defunctorum p. 16.

n) In Hist. phil. p. 178.

o) Hist. lit. germ. P. III. p. 576. P. IV. p. 147. P. V. p. 262. seq.

p) Hist. liter. P. II. c. 1. p. 488. seqq.

q) Mémoires T. II. p. 64. Praefixit quoque editioni Amstelodamensi Theodiceae anni 1754. vitam auctoris L. DE NEUVILLE, quam Latine versam adiecerunt editores Tubingenses nouae versionis Latinae 1739.

*Hist. philosf. Tom. V.*

r) Lips. 1737. 8. II. Vol.

s) Lips. 1738-1742. IV. Vol.

t) Edidit ea Orii Hannouerani, c. Miscellaneorum Leibnizianorum titulo Lips. 1718. 8. quae tamen, nescio quo iure, displicere Eccardo. vid. A. E. 1718. p. 214.

u) Enumerat ea LVDOVICI l. c. §. 14. pag. 28. lqq.

v) Programmata in funere publice vulgata et vitam enarrantia legas l. c.



cum paulo adolesceret, scholae Nicolaiticae traditus, diuini quod nactus erat, ingenii scintillas praemature prodidit, condiscipulis non industria modo, sed felicitate quoque ingenii cito superatis. Totus enim in disciplinarum optimarum studium cum exardesceret, non contentus lectionibus, quas peritissimorum praeceptorum industria suppeditabat, adolescens admodum in patris bibliothecam optimis libris refertam se abscondit, et contentis riuulis ad humanitatis fontes, scriptores veteres Graecos et Latinos, accurrit, iugi lectione atque meditatione ardentem veteris literaturae sitim restincturus. Incidit autem in Liuium atque Virgilium, optimos dicendi fingendique auctores, quos cum difficiles nimis tenero adolescenti praeceptores dissuasissent, peruicit tamen ignea vis animi eius, ut vtrumque totum fere deuoraret: tanta memoriae fidelitate, ut ad senium vergens, poetarum principem totum fere atque integrum ex memoria recitare posset. Ita vero formata est praestantissima viri summi quam in humanitatis studiis postea ostendit, peritia, qua elegantissimis suae aetatis calamis et prosa et ligata oratione inferiorem se non esse apud omnes demonstrauit. Sed et rhetores, poetas, historicos, philosophos, et quicquid bonorum scriptorum ei suggerebat paterna supellex tanta diligentia et iudicandi solertia legit adolescens praematurae indolis, ut egregia τῆς ἐγκυκλοπαιδείας notitia ei succresceret, et ante dies virilibus studiis esset aptus. Sane eo tempore collegisse diuini ingenii virum eas elegantioris literaturae, maxime antiquae, opes, quibus velut gemmis eius scripta interstinguuntur, ex scriptis eius in iuuenili aetate editis est manifestissimum. Ita cum ante aetatem animi vis robor eximium acquisiuisset, altius ingressus stadium ad academicorum studiorum cursum animum applicuit, et quindecim annos natus anno cLoCCLXI, albo academiae patriae nomen dedit. Quo facto dici non potest, quantum animorum succreuerit adolescenti ignea animi virtute exsuperanti ad prosequendum gnauiter eum cursum, quem intenderat. Igitur lectioni, auditioni, meditationi totus immerfus, non vni literarum generi inhaesit, sed quoscunque scriptores fors obtulisset, supra aetatis vires iudicio instructus ita legit, ut seuerè examinaret, et in horrea memoriae longe fidissimae referret, quicquid eruditioni futurae posset esse vtilissimum. Ita theologorum, iuris peritorum, medicorum, philosophorum, auctorumque aliorum, quos eruditionis lumen commendabat, libros nocturna diurnaque manu versando inexpectatos inde fructus retulit. Quod si difficiliora occurrissent, ad praeceptorum oracula accurrens auxilium implorabat, quod tamen ex proprio fundo, aciem animi in partes vocando, omnium optime hauriebat. Erat inter eos, a quorum ore pendebat omnium sine dubio eruditissimus Iacobus Thomaſius, cuius excellentissimam doctrinam in *antecedente Parte* ex merito depra-

y) Aet. erud. l. c. et post hos reliqui. Inter praecoces ideo eruditos locum suo iure postulat Leibnizius. De quibus praecocibus eius studiis

ipse plura enarrat Vol. I. ep. 176. p. 276. seq. hic omnino legenda, ut ingenii eius excellentia intelligatur.



depraedicauimus. Is cum vastissimam lectionem cum iudicio accurate copulasset, et imprimis veteris philosophiae, maxime Graecanicae, raro eius aetatis inter Germanos exemplo, esset consultissimus, Leibnizium, acerrimi ingenii adolescentem ad haec mysteria accurate cognoscenda maxima dexteritate adduxit <sup>z</sup>, ea felicitate euentus, vt in philosophiae historia paucos postea sibi pares haberet Leibnizius, mirabile vero sit, virum tot difficillimis geometrarum et historicorum laboribus distractum tantum in eo eruditionis genere vidisse. Candide gratoque animo agnouit Leibnizius, quantum per hunc virum profecisset. Cuius rei testimonia peti plurima possunt ex epistolis Leibnizii ad Thomasium in collectione Kortholtiana occurrentibus <sup>a</sup>. Maxime autem eius rei testimonium extare vir summus voluit in epistola ad hunc praeceptorem suum data, quam reclusis eius cura NIZOLII commentariis praemisit, et in qua de Aristotelica philosophia cum recentiori reconciliabili disputat, et de Cartesii sectatoribus iudicat. *In ea enim mire γεῖμα historiae philosophicae Thomasianum extollit, quod quantum inter nudas nominum recensiones et profundas de sententiarum connexionibus rationes intersit, ostenderit, et philosophiae magis quam philosophorum historiam ab eo expectat, testatus omnes veterum recessus eum lustrauisse, et recentiorum inuenta, quando mereantur, non aspernari; atque illos illustrare, hos examinare vnum optime posse.* Talem cum Thomasium iudicaret atque deprehenderet Leibnizius, mirum non est in philosophia addiscenda plurimum illi tribuisse, sic vt fateatur <sup>b</sup>: *ingratus sim, si tibi in philosophia multa me debere negem.* Et hanc quoque animi fiduciam postea conseruauit erga Thomasium Leibnizius, ex quo iucundissimum literarum commercium enatum inter vtrumque est, quod quantum qualemque discipulum educauerit Thomasius praeclare loquitur. Fallimur autem, aut ex hac causa deriuandum quoque est, magnum quod veteribus philosophis Leibnizius statuit pretium, quos, imprimis Pythagoram et Platonem, praetulisse recentiorum plerisque in epistolis ad amicos <sup>c</sup> multoties prodidit. Sed vt ad praeceptores Leibnizii reliquos reuertamur, in mathematicis Ioannem Kuhnium, in philosophia etiam Ioannem Adamum Scherzerum et Fridericum Rappoltum audiuit. Et ille quidem scholastici acuminis laude tum praeclarus habebatur: hic autem in veteris philosophiae mysteriis probe versatus audaciori conatu coeperat feruile iugum scholasticae philosophiae abiicere; vnde meruit a CHRISTIANO THOMASIO <sup>d</sup> cum Io. Christophoro Sturmio primi eclecticici nomine laudari, quibus ex merito Leibnizium iam tum addidit personatus Realis de Vienna <sup>e</sup>. Tantis viris, quorum doctrinam multiplicem foetus literarii

V v 2

abunde

z) Laudat id ipse Leibnizius Vol. I, ep. 170. p. 270. cf. Vol. II, ep. 14. p. 142.

a) l. c. Vol. III, p. 22. 30. 45. 48. 49. 55.

b) Vol. III, Epp. p. 43.

c) Vid. Ep. ad Hanschium Vol. III, p. 64. sqq.

Vol. IV, p. 35. 37. vbi se etiam Stoicis plurimum fauere ait. Vol. I, p. 270.

d) Introd. in philos. sul. c. 1. §. 93. p. 44.

e) Vid. REIMMANN, Hist. Liter. German. Vol. III, p. 467.



abunde testantur, praeceptoribus vsus, omni spe citius profundiusque in artium adyta penetrauit Leibnizius, et futurae magnitudinis haud obscura indicia prodidit. Id quod latere non potuit Thomafium, futuram, quam in orbe erudito, obtenturus esset, fortunam locumque illustrem, nostro admodum iuueni praefagientem *f*.

*Mora Leibniziani Ienenfis et promotio academica.*

§. IV. Ita in patria academia feuerioribus disciplinis rite initiatus ad Musas Salanas abiit, et in Ienensi schola magnos tum viros Erhardum Weigelium *g*, mathematicarum disciplinarum peritia insignem, et Ioannem Andream Bosium *h*, historiarum doctorem publicum, et criticae artis praefidio magna cum laude in historia veteri versatum, in iurisprudentia autem, cui se patris auique materni exemplo addixerat, Ioannem Christophorum Falcknerum duces studiorum habuit. Quos maximo Leibniziani ingenii commodo illi praeceptores obtigisse, si non ipso euentu constaret, satis tamen id disci posset ex laudatissimorum virorum doctrina, multis speciminibus inter eruditos tum probata. Maxime autem plurimum incrementorum ad Leibnizianam eruditionem accessit, ex lectionibus Weigelii, qui arithmeticae et mechanicae mysteria profundius rimabatur, hisque Pythagoream philosophiam iungere tentabat *i*. Hoc enim duce vsus Leibnizius, facile in ista penetralia peruenit, diuini ingenii felicitate adiutus, quae clausa mansere praeceptoris. Cuius exemplum esse potest arithmetica tetractyos, quam instituerat Weigelius, quam sibi de arithmetices dycticae arcano cogitandi occasionem suppeditauisse, non negat Leibnizius *k*. Et huic quoque praeceptoris eius tribuendum videtur, quod eo tempore ad syncretismum inter veteres et recentiores philosophos, a quo abhorrebat Thomafius inclinauerit. Weigelium enim inter Aristotelem et nouatores pacisci voluisse, ipse nos docet Leibnizius *l*: qui quanti hunc philosophum fecerit, loco quodam *m* satis testatum fecit. Non vero apud Ienenses virorum doctorum praecepta audiuisse contentus, ipse quaerere veritatem, et nouam viam tentare suscepit, nomenque ideo dedit quaerentium collegio, quod sodalitiū de nouis veritatibus inquirendis maxime tum erat sollicitum *n*. His studiis auctus et politus in patriam rediit, et pristina oracula consuluit, acceptaque prima, quam vocant, laurea, tantum abest, vt philosophiae studium seposuerit, vt duce Thomasio veterum Graecorum, maxime Platonis et Aristotelis commen-

tarios

*f*) citati.

*g*) Videndus de eo REIMMANN. l. c. Vol. III. p. 178. IV. p. 61, 136. 153. 181. 248. 251. 387. STOLL. Hist. Lit. P. I. p. 323. 335. 704. 199.

*h*) V. ZEVMEER. Vit. prof. phil. Ienens. REIMMANN. l. c. Vol. V. p. 238. seqq. STOLLE l. c. p. 156. 262. 723.

*i*) Edidit eius rei specimen in Tr. Vernaculo: in Descriptione arithmeticae philosophiae moralis secundum numeros Pythagorae eiusque tetractyn. qui Ienae 1674. 8. prodit.

*k*) Epp. Vol. II. p. 491.

*l*) In Ep. Nizolio praemissa, quae etiam Vol. II. Epp. extat p. 133.

*m*) Apud STOLLIVM Hist. Lit. P. III. c. 4. § 17. p. 674.

*n*) Eam societatem instituerat Bosius, vid. STRVVIVS Intr. in Hist. Lit. c. 10. § 31. p. m. 521. Eodem tempore florebat etiam Societas Pythagorea Ienae, auctore Weigelio instituta, quae de arithmetica Pythagorica sollicita erat. Etiam huius partem fuisse Leibnizium omnino verisimile est.



tarios sedulo euolueret, Scholasticorum cum iis cogitata conferret, et recentiorum inuenta cum illis componeret, maxime autem Cartesiana placita examinaret, profundisque meditationibus ita se immergeret, vt, quod ad Burnetum nobilem Scotum scribit <sup>o</sup>, quindecim annorum adulescens, totos dies in sylua oberraret, et disceptationem inter Aristotelem et Democritum institueret; saepius autem, nouis luminibus exortis veterem sententiam exeret. Vt autem vires quoque publico specimine periclitaretur, praefide Iacobo Thomasio *de Principio indiuidui* in arenam philosophicam descendit. Quod argumentum licet ex sententis Scholasticorum haustum esset, auctore pro entitate Nominalium contra Thomistarum materiam signatam pronuntiante, in eo tamen et acumen iudicii probauit, et errores ex recepta Scholasticorum sententia oriundos detexit <sup>p</sup>, et quam profunde Aristotelis sententiam perspexerit, demonstrauit. Tacemus corollaria, quae ingenium Leibnizii supra iuueniles annos eminens producit. Istitis peractis, et suscepto ad Ioannem Strauchium Brunswicensem syndicum itinere, redux in patriam honores in philosophia summos more maiorum petiit, meritosque nondum duodeuiginti annos natus, anno 1694 accepit: et tum ad iuris legumque disciplinam maiori contentione conuersus Schacherum et Schwendendoerferum Ictos Lipsienses praeceptores habuit. Adeo vero philosophiae deliciis inescatus ab eius penitiori meditatione non destitit, vt magno labore id tum temporis ageret, qua ratione Platonem cum Aristotele conciliare posset. Viribus itaque satis atque eruditione instructus, qui docentis iura publico specimine tueretur, *Quaestiones philosophicas ex iure collectas* in arenam deduxit, ventilandasque viris doctis exhibuit: idem sub Schwendendoerfero in iure suscepit, argumento disceptationis literariae *de Conditionibus* proposito. Addunt *Actorum eruditorum* collectores, etiam in philologico argumento vires tentaturum Leibnizium, *de Scriptoribus Laconicum Lipsii scribendi genus imitantibus* schediasma meditatam multa collegisse, haud iniucunda, editione tamen posthac ab aliis laboribus impedita. Vt vero in philosophica facultate academiae patriae locum aliquando obtinere posset, iuxta leges et statuta *de Complexionibus* <sup>q</sup> publice disputauit. In qua dissertatione anno 1696 habita, tum primum paulo clarius emicuit, quam ingenium eius magnitudinem portenderet. Multa enim excelsa, singularia, et profundam meditationem prodentia cum attulisset, maxime veritatum nonnullarum, quas aetate maturior in meridiana luce collocauit, auroram iam tum coelo philosophico induxit. Qua de re vel sola, quae more recepto adiecit,

V v 3

corol-

o) Leibniziana p. 43.

p) Conf. eruditam praefationem, quam disputationis huius actui praemisit I. THOMASIVS inter eius praef. XLIII. p. 246. seqq. In eo testis est, Leibnizium, (17. aetatis annum agentem) in-

genium et industriam, iam per hanc sane virentem adhuc aetatem difficillimis iisdemque prolixissimis controuersis parem ostendisse

q) Inseruit Dissertationem Vol. II. Epp. p. 48. Cl. KORTHOŁTYS.



corollaria exemplum praebent luculentum. Ex qua tractatione <sup>r</sup> enata Leibnizio *Ars combinatoria*, eodem anno edita, in qua ex arithmeticae fundamentis complicationum ac transpositionum doctrina novis praeceptis exstruitur, et usus ambarum per univrsam scientiarum orbem ostenditur, noua etiam artis meditando, seu logicae inuentionis semina sparguntur. Adiecit in fine *Demonstrationem existentiae Dei ad mathematicam certitudinem exactam* <sup>s</sup>. Valde placuit ingeniosum scriptum viris passim eruditis, qui probe viderunt, nouas meditationes haud plane nullius usus in eo aperiri, spargi semina inuentionis, et pulchra multa afferri: multa aliorum *παροράματα* acute configi. Quae causa fuit, vt in consulto licet auctore, anno cdo lxxc. Francofurti recuderetur <sup>t</sup>. Id quod tamen valde displicuit Leibnizio, „eo quod libellum non satis esse „limatum, nec praesentibus eius cogitatis ac personae vbique respondendum iudicaret, et veniam olim annis datam, in quibus aliqua interdum „luxuriantis ingenii audacia laudetur, nunc a se peti non posse perspiceret.“ Vnde in *Actis eruditorum* editionem istam improbari iussit, indicauitque, quibus in articulis meliora iam ipsi arrisissent. Quibus tamen non obstantibus magnae auctoritatis viris labor iste probatus est <sup>u</sup>, eo quod ad faciliorem iurisprudentiae methodum cuncta attemperauisset. Talis cum esset, licet vigesimum aetatis annum vix attigisset <sup>x</sup>, fummos in vtroque iure honores petere ausus est; et obtinuisset eos sine dubio, cum spectatissima iam tum eius eruditio in patria fuisset, nisi lepido errore <sup>y</sup>, quem causis arcanis, et quod nondum maturus annis crederetur, tribuunt *Acta eruditorum*, repulsam fuisse passus, a qua ipse iure consultorum ordo sine dubio abhorruisset, si ab eo res tum stetitisset.

*Studia Leibnizii academica Altdorfi.*

§. V. Indignatus hanc iniuriam Leibnizius, de alio loco circumspexit, in quo praeclarae, quam possidebat doctrinae maior ratio haberetur, obtinerique honores diu meriti possent. Ad Noricam ideo, quae Altdorfii floret, academiam eodem anno abiit. In quo itinere, cum alte sibi animo infixisset, quod postea symboli loco adhibuit <sup>z</sup>, partem vitae, quoties perditur hora, perire; de emendanda iurisprudentia nouaque atque faciliori methodo introducenda meditatus est, et cogitationes sine librorum apparatu <sup>a</sup>, folius mentis beneficio, conceptas in chartam retulit, quas biennio post typis vulgavit. Vbi autem Altdorfii appulisset, ad examen more consuetudo admittitur, ita praeclarissimam eruditionem doctoribus legis,

r) Continet enim initia istius libelli.

s) Eam repetit Cel. LVDOVICI l. c. c. 7. p. 315. seqq.

t) 1691. m. Febr.

u) GODOFR. STRAVCHIVS Diss. de Syllogismo iuridico §. 5. apud LVDOVICI l. c. p. 313. seqq. add. MORNOF. Polyhist. T. I. p. 360. seqq.

x) Conf. Vol. ep. 176. 277.

y) Nempe cum in aedibus decani consilii sui

indiciam ex more facere vellet, ab vxore eius, adolescentiam illius contemnente repulsam passus dicitur. LVDOVICI l. c. p. 45. qui recte obseruat, bellum nondum Aristotelicis et scholasticis tum indixisse Leibnizium, vt ea propter impediretur, quam causam nonnulli allegant.

z) Conf. LVDOVICI l. c. c. XX. §. 322. Vol. II. p. 228.

a) In itineris digressiorumque strepitu destitutus libris, Act. erud. l. c.



legis, qui in ea schola tum viuebant, probauit, vt ad dissertationem inauguralem, secundum academiae statuta sine praeside habendam lubentissime admitteretur. Disputauit viginti annorum iuuenis *de Casibus perplexis in iure* <sup>b</sup> tanto omnium applausu, vt non bonus modo quilibet, de hoc nouo academiae ornamento reipublicae eruditae gratularetur, sed et senatus academicus, egregie consultum isti scholae putaret, si in docentium numerum reciperetur. Obtulit itaque nouo doctore ius atque potestatem legum scientiam extra ordinem docendi: Quam conditionem tamen reiecit, cum aulicam potius anhelaret. Ideo relicta Altdorfio Norimbergam concessit, vt, et viros ibi doctos conueniret, et praeclaros artifices, quibus semper abundauit vrbs celeberrima, inuiferet. Ibi in societatem quorundam incidit, qui in summum chemiae arcanum, (lapidem philosophorum vocant,) inquirebant. Qui cum maxime sacra atque silentio tecta mysteria sua haberent, eo ipso vehementer accenderunt Leibnizii animum, cupientem discere, quibusnam hi homines thesauris inhiarent, quibus modis finem, toties alios frustrantem obtinere sibi pollicerentur, ratus nonnulla se ab eis, vt fieri haud raro solet, discere posse, quae ad recludendos naturae recessus facere possent. Simulabat ergo alchymistorum mysteriorum insignem quandam notitiam conscripta ex libris huius generis epistola aenigmatum ipsi auctori imperferuabilium plena. Quam cum directori exhibuisset, facile obtinuit, vt dicto certo stipendio societati isti a secretioribus chartis esse, et librorum arcanorum compendia describere iuberetur. Id quod ingenio Leibniziano, insigni *ἀρχονία* praedito non potuit non euenire vtilissimum; cum ea breui teneret omnia, quae magnis sumptibus istud sodalitium congefferat <sup>c</sup>.

§. VI. Non neglexit tamen, his intentus, virorum doctorum consuetudinem Leibnizius, vndequaue alimenta quaerens doctrinae, quam alebat, indies crescentis. Maxime iusto Iacobo Leibnizio, ecclesiasticae Norimbergensi <sup>d</sup> innotuit, viro eleganter docto, nostrum autem sola nominis cognatione attingenti <sup>e</sup>. Is illustri Boineburgio, viro summo, et praeter prudentiam aulicam insigni eruditione conspicuo, qui tum Norimbergam diuerterat, Leibnizium commendauit, cum et heroem illum magnis fauere ingeniis nosset, et Leibnizium ea scientiarum omnis generis notitia pollere intellexisset, quae illustris viri curiositati abunde posset satisfacere. Vix autem conuenerat eum Leibnizius, cum ingenii magnitudinem et iudicandi solertiam vastae omnium fere scientiarum peritiae iunctam admiratus Boineburgius, de beneuolentia sua eum iuberet esse certissimum, sponderetque, in eo versaturum curam suam, vt serenissimo, cui seruebat, electori Moguntino eum tradat, et ad aulae ministerium aditum.

b) Eam postea recudi fecit, additis dissert. 99. Phil. ex iure, et de Conditionibus, vulgatis titulo Speciminum iuris, Francofurti 1672. 4.

c) Citati.

d) Huc addi potest Dilherrus.

e) Edidit is Memorabilia Bibl. Norimb.



aditum patet. Cui scopo obtinendo praeclaras de iurisprudentiae et historiarum pomeroiis dilatandis cogitationes augere, prolixè, hisque se ornamentis eum commendare iussit. Paruit optimo consilio Leibnizius, et ut Moguntiae propior esset, Francofurtum abiit, fortunae suae fabrum ita acturus, ut, quae cupiebat, honestissimis nominibus consequi posset. Quod eo facilius facere licebat, cum abunde haberet, quibus omni ministerii generi sufficeret, et consilia literaria concepisset, ingentem utilitatem pollicentia.

*Traditus  
Leibnizius  
Moguntino  
electori.*

§. VII. Intellexerat illustris Boineburgius, quantum emolumentum ad aulam heri sui ex tanto viro redundare posset, eumque ideo electori valde commendauerat. Qui cum ipse viris meritorum gloria insignibus optime cuperet, ab eo vocare Leibnizium Moguntiam Boineburgius iussus est. Is ubi aduenit, et salutandi electoris veniam nactus est, in primo congressu beneuolentiam principis sibi conciliauit. Qui ut intelligeret, quid de eo esset sperandum, specimen doctrinae edere constituit, quaeque de iurisprudentiae emendandae modo et ratione deque noua methodo in chartam coniecerat, in ordinem redacta vulgare et inscribere nomini electoris statuit. Prodiit ita hoc anno c<sup>l</sup>o c<sup>l</sup>xviii, *Noua methodus docendae discendaeque iurisprudentiae, cum subiuncto catalogo desideratorum in iurisprudentia f.* Qui libellus mole exiguus, at meditationum praestantia magnus, vehementer viris doctis placuit, qui gauisi sunt confusum illud chaos, quo premitur legum peritia, et difficultimum redditur eius studium in ordinem redigi posse, inuentumque esse, qui hoc Augiae stabulum purgaret. Ipse quoque celeberrimus auctor, quamuis de se modeste, praecipue de aetatis iuuenilis laboribus iudicaret, multa se noua et proficua detexisse, semper affirmauit, licet non deessent, qui vetera nouis melioribus praefere mallent <sup>s</sup>. Nec quod non nemo <sup>b</sup> magnae auctoritatis in eo reprehendit, de sola methodo demonstratiua in eo libello sollicitus fuit, et ut illa in legum scientiam introduceretur, suauis, sed innumeros quoque, quibus ea premitur, defectus, ostendit, et quae impedimenta, ad promouendam scientiam elegantissimam, remouenda essent, quae media neglecta, prudentissime detexit. De quo tamen alibi dicendum, cum ad hanc nostram tractationem non pertineat, et adeundus, qui in compendio cuncta enarrauit Cl. FELLERVS <sup>i</sup>. Ipse autem Leibnizius, cum intellexisset, placuisse admodum electori consilium noui corporis iuris condendi, quod ordine, elegancia et perspicuitate se magis commendaret, eodem adhuc anno, breui scriptione *Corporis iuris reconcinandi* rationem explicuit, et cum viris doctis atque iurisprudentiae peritis communis laboris consilium aggressus,

f) Francof. 12.

g) Oppositus his laboribus protribunalia N 1 6.  
CHR. LYNCKERVS Giesae 1669. conf. Leibniziana p. 143.

h) Illustris LUDWIGIVS. vid. LVD. I. c. p. 323.

i) In Supplem. vitae Leibnizianae Otio Hannover. praemisso.



gressus, ipsam iuris collectionem natio ordini restituere aggressus est. De quo eius studio, cum nobis prolixioribus esse non liceat, consulendi sunt, qui historiam iuris recentiore tradunt, quaeque accurate enarrauit doctissimus LVDOVICI <sup>k</sup>. Idem consiliorum ingentium capax Leibnizii animus tentare tum coepit in omnibus disciplinis, vnde ALSTEDII *Encyclopaediam* emendare, augere, et perficere animo concepit et Henthalerum in laboris societatem pertraxit. Quae tamen conamina maiora et grauiora, quae superuenerunt, negotia breui suppresserunt, quamuis animum consiliumque nunquam abiecerit Leibnizius, et iam fenex de ea re cum illustri Wolfio egerit <sup>l</sup>, vt similis encyclopaedia insigni cum orbis eruditi vtilitate tandem procuderetur <sup>m</sup>.

§. VIII. Impediuerunt autem Leibnizium, talia meditantem curae publicae, cuius pars esse iussus est. Nempe cum se regno Poloniae abdicasset Ioannes Casimirus <sup>n</sup>, deque nouo rege disceptarent proceres, qui electionis diem VI. Non. Mai. anni sequentis indixerant, inter coronae candidatos nomen quoque professus est Philippus Guilelmus, Palatinus dux Neoburgicus, cui Boineburgium rerum suarum administrum commendauerat, spectata viri excellentissimi prudentia, rerumque ciuiliu[m] cognitio atque experientia. Cuius beneuolentia cum totus gauderet Leibnizius, eius molimina eruditione sua, incertum iussus, an sponte? iuuare statuit. Enatum *Specimen demonstrationum politicarum pro eligendo rege Polonorum, nouo scribendi genere ad claram certitudinem exactum*, quod laruato nomine Georgii Vlicouii Lithuani Leibnizius edidit <sup>o</sup>. In quo libello ita vim animi etiam in rebus ad prudentiam ciuilem pertinentibus demonstrauit Leibnizius <sup>p</sup>, vt virum sibi vtilissimum in aulam suam pertrahere omnibus modis princeps laudatus conaretur, frustraneo tamen euentu cum Moguntiam praefere Neoburgo a Boineburgio persuasus constituisset. Neque tamen tunc quoque in alium quasi orbem raptus philosophiae curam seposuit, sed emendare sensum de philosophia rectum, quo posset modo, perrexit. Hinc cum MARIJ NIZOLII librum *de Veris principiis et vera ratione philosophandi contra pseudo-philosophos*, cuius in antecedente Parte mentio iam facta est, quique tum profus disparuerat, a Boineburgio accepisset, vt et diuturni carceris squalore scriptorem, in quo esset acuminis satis, plurimum eloquentiae philosopho dignae, libertatis nimium <sup>q</sup>, protraheret, ad sananda bonarum literarum, quae passa erant, mala, recudi fecit, annotationes adiecit, quibus nimiam

k) l. c. p. 54. 326.

l) A. E. l. c.

m) Cogitationes Leibnizianae de Encyclopaedia disci possunt ex Epp. Vol. III. p. 264. cf. FELLERI Monum. inedita Trim. II. p. 112. seq.

n) Factum id anno 1668. d. 16. Sept. conf. B. CONNORRII Descriptio Poloniae et magnae Lithuaniae p. 172. seqq.

o) Vilsae, vt est in titulo 1669. 12.

p) Conf. Boeclerus in Act. Erud. l. e.

q) Vid. Dedicatio ad Boineburgium.



miam libertatem inter repagula aliqua coercuit, praefixitque duas dissertationes, quarum vna, de Stilo philosophico differit, et praeclara multa de Nizolio de ratione dicendi scribendique in philosophia, de habitu linguarum ad philosophiam, de perspicuitate dicendi inter philosophandum, de pretio scholasticae philosophiae statuendo, de secta Nominalium, de vsu metaphysicae, de vniuersalium natura, de scriptis Aristotelis, deque similibus cumulat: altera epistolaris ad Iacobum Thomasiu de scribenda historia philosophica, de Cartesio, Aristotele, Scholasticis, horumque philosophorum placitis, maxime autem de conciliatione inter Aristotelem et recentiores disputat <sup>r</sup>. Patet autem ex his dissertationibus, quamuis multos receptae philosophiae naeuos iam vidisset, maluisse tamen concordiam tum inter veteres et recentiores inire, quam illos totos deferere <sup>s</sup>. Quem veterum amorem per totam quidem vitam non deposuit, maxime tamen eo tempore, quo nouum systema condendi consilium nondum fouerat, prodidit, vnde ista quoque ad syncretismum propensio enata est, quam in istis dissertationibus manifestauit, quam in quadam epistola candide, vt hanc historiae philosophicae pestem valde oderat, confodit IACOBVS THOMASIVS <sup>r</sup>. Valde commendatos sibi habuit Leibnizii conatus Boineburgius, qui, vt praeclare iudicabat, multum incrementorum ad literas a Leibnizio profectum iri intelligebat. Vt itaque sponte currenti calcar adderet, tradere eum principibus summa cura annisus est, vt actus gloriae stimulo Leibnizius in iuuandis disciplinis, eo maiori contentione pergeret. Sensit eius commendationis effectum Leibnizius mature, anno 1701, inter consiliarios supremi iudicii reuisorii assessores in aula Moguntina cooptatus, annoque sequenti adductus in notitiam magni principis Ioannis Friderici Brunsvicensium et Luneburgensium ducis, qua fundamentum futurae felicitatis noster posuit, ab eo tempore intemerata optimi principis gratia vsus. His calcaribus nouo instinctu auctus Leibnizius, quacunq; ratione posset, velificare studiis Boineburgii, et iuuare scientias conatus est. Inde enata praeter *Defensionem logicam SS. Trinitatis per noua inuenta logica, contra Wiffouatium*, hominem Socinianum, in gratiam Boineburgii conscriptam,

<sup>r</sup>) Vtramque laudabili consilio recudi fecit Cl. KORTHOLTVS, Vol. II. p. 63. seqq. qui annotationes quoque Leibnizianas Vol. IV. p. 68. exhibet. In hac dissertatione priore carpit Io. BART. ROESCHORLIUS, diss. de Phil. conciliatrice §. 15. quod inter syncretistas Leibnizius Scaligerum, Digbaeum, et Thom. Anglum reuulerit, qui ecclesiastici fuerint. Ast immerito reprehendi virum illustrem ea, quae de his philosophis supra diximus, factis euincunt.

<sup>s</sup>) Non hoc ita intelligendum, ac si Leibnizius veterum umbras recentiorum lumini praetulisset. Sed cum in Aristotele notiones terminosque vagos et incertos deprehenderet, eorum significationem ex recentiorum observationibus determinauit, hocque ipso alium longe Aristotelem nobis dare voluit,

quam reuera fuit. Vidit id, vt mire perspicax erat, in dignoscendis inter se philosophorum sententiis, IACOBVS THOMASIVS, factus in responsione sua, quae Vol. III. Epp. p. 30. seqq. extat, sibi non persuaderi, Aristotelem a recentioribus philosophis non adeo dissidere, licet agnoscat, dogmata eius quaedam loquendique modos eiusmodi esse, vt conciliare volentibus faciant spem aliquam concordiae, vereri autem se, ait, vt illa pax queat ipso satis volente sanciri, siquidem mentem philosophi paulo penitius rimemur, sed et reliqua merentur legi, prorsus enim sunt egregia et syncretismo huic euertendo aptissima.

<sup>t</sup>) I. c. nam in eundem sensum ad eum scripserat iterum Leibnizius I. c. p. 26.



scriptam, *Hypothesis physica noua, quae phaenomenorum naturae plerumque caussae ab unico quodam vniuersali motu in globo nostro supposito neque Tychonicis, neque Copernicanis aspernando, repetuntur*, quam etiam *Theoriam motus concreti* vocauerat \*. Eam societati Britannicae inscripsit, eo quod ex Oldenburgero intellexisset, coniecturas has ei non ingratas fore. Supponit autem globum solarem, globum terrestrem, et spatium intermedium, massa quiescente, quam aetherem vocat plenum. Et in globo quidem solis atque terrae motum statuit circa proprium centrum, siue internum, et alium motum in sole, quo agat extra se, varie circularem, et radios emittentem, qui agant in globum terrestrem, totum initio homogeneum, eumque mirifice mutant, admissio ab eo dehiscente aethere. Hinc tot ictibus plerisque centrorsum euntibus maiorem materiae partem in fundum collectam terram dedisse, aquam supernatauisse, aërem emicuisse, intrusum aetherem omnia intus peruasisse in bullas interceptum hypothetice asserit. Ex quo colligit, terram nostram etsi radiis lucis dehiscens in partes heterogeneas abierit, vbique tamen subtilissimo aethere penetrari; eumque proportionatam sibi subtilitate partium radiorum lucis actionem potissimum recipere. Cum igitur terra agatur circa proprium centrum ab occidente versus orientem, subtilissimum aetherem terram circumdantem contrario motu non tantum retardationis, sed et obnitentiae, lucem sequutum, motum iri ab oriente versus occidentem. Et hunc vniuersalem motum in globo nostro terraqueo esse putat, a quo potius, quam ab atomorum figuris aut ramentorum de vorticum varietatibus, res repetendae sint. Quae ratione fieri debeat, ingeniose, vt sunt Leibniziana omnia, explicat, et ex innumerabilibus bullis, ex fluidi aestuatione et fusione per lucem seu calorem exortis, semina rerum et stamina specierum, receptacula aetheris, corporum basin, consistentiae causam, et fundamentum omnis varietatis in rebus, impetusque in motibus deriuat. Quae tamen huc transcribere omnia, delineareque qua ratione vir summus maximis ingenii viribus nouam physiologiam effinxerit, tractationis scopus dicendorumque ratio impedit. Legenda autem tota dissertatio est, vt quam elegans atque foecundum iam tum viri magni ingenium fuerit, intelligatur. Mirum itaque haud est, placuisse foetum hunc nouum non modo viris passim doctis, sed et societati regiae Londinensi, cuius iussu edito repetita est; ipsum quoque schediafina illustrem CHRISTIANVM KNORRIVM Cabalae denudatae auctorem, assumpti Christophori Peganii nomine Germanis legendum dedisse \*. Ast non inficiandum tamen, haud pauca in hac dissertatione postea viro summo displicuisse, cum sententiam mutauisset, viris quoque nonnullis eruditissimis ab iis as-

XX 2

fertio-

u) Recensam dedit KÖRTHOLTVS, l. c. Vol. IV. p. 279.

x) Ad calcem THOM. BROWNII Pseudoxiae epidemicae, quam Germanice edidit vir illustris Norimb. 1680. 4.

y) Vid. ill. WOLF. Tent. phys. P. III. KASCHV-BIVS in Elementis physico-mechanicis, Io. WAL-LISIVS, Philosophical transactions n. LXXIV. p. 2227.



sertionibus dissentientibus. Quoniam [autem in hac noua hypothesi] physica effingenda, motus leges supponendae erant, ideo philosophus acutissimus nouam quoque *Theoriam motus abstracti* delineauit<sup>a</sup>, cuius regulis theoriam motus concreti inaedificauit: eam autem, post hanc demum editam publici iuris fecit, et academiae regiae Francicae scientiarum inscripsit. In schediasmate, haec ob arctam propositionum connexionem in epitome non delineando, sed ipso, cum breue sit, inspiciendo, id sibi constituit, et indiuisibilem naturam illustraret, cohaesionis rationem detegeret, hypothesein afferret, vnde omnia naturae phaenomena, mechanice explicari possent etc. Multa in hoc breui sed acuto scripto sunt, quae placitorum, postea viro celeberrimo propriorum semina continent. Inter quae referri potest, quod monadibus eius praelusit dogma: *Omne corpus esse mentem momentaneam, seu carentem recordatione, quia conatum simul suum et alienum contrarium non retineat ultra momentum, adeoque careat memoria sensu actionum passionumque suarum, atque cogitatione*, quibus assertis Hobbesium secutus fuisse non nemini<sup>a</sup> perperam visus est. Ast multa in hac quoque theoria motus abstracti postea improbauit Leibnizius, ad alias cogitationes delatus. Cuius exemplum hypothesis dynamica esse potest, quam tunc quidem nondum conceperat, vnde hoc loco cum Democrito, Gassendo et Cartesio essentiam corporis in sola massa inerte posuit. Addi his debet *Notitia opticae promotae* in qua noua vitrorum optico-um poliendorum artificia tradidit, de quibus etiam cum Benedicto de Spinoza, in ea arte mire versato per literas egit<sup>b</sup>.

*Leibnizii  
iter Gallicum  
prius.*

§. IX. Haec in caelo Germanico nouum philosophiae omnique literaturae fidus exortum resplendebat Leibnizius; iam de fati eius ita disponere incipiebat prouidentia, vt regionibus sub alio sole calentibus innotesceret, quanto scientiarum bono is natus esset. Occasionem subministravit Boineburgius, qui negotiorum transigendorum filiique regendi causa Leibnizium rogauit, vt in Galliam concederet, aliquam ibi ob dictas causas moram acturus. Factum id anno dno 1686. Quod iter exoptatissimum Leibnizio accidit, qui cum ingenio, doctrinaque esset instructissimus, facile vidit, ex virorum praestantissimorum, quos tum Gallia, maxime Lutetia Parisiorum nutrebat, consuetudine plurimum incrementi accepturam esse ipsius eruditionem, ingenii excellentiam autem illis fore commendatissimam. Consultis itaque exploratisque in itinere memorabilibus<sup>c</sup>, quae ad naturalem et eruditam historiam pertinent, cum in Gallia aduenisset, fama iam tum notissimus, et dotibus ingenii diuini admirabilis, viros doctos certatim sibi amicos comparauit. Quorum tanta

erga

<sup>a</sup>) Extat quoque Epp. Vol. III. p. 409. seqq.

<sup>b</sup>) Io. RAPSONO Epist. miscell. p. 97. 163. Cui respondit CHR. AVG. SALIG. Diss. Philosophumena veterum ac recentiorum de anima eiusque immortalitate, Viteb. 1714 §. 60.

<sup>c</sup>) Vid. SPINOZAE Opera posthuma, vnde repetiit Cl. LVDOVICI L. c. §. 295. p. 337. seqq.

<sup>d</sup>) Indicem adhibebat MONCONYSSII Itinerarium, vid. FELLER I. c.



erga illum fuit fiducia, vt maximi momenti confilia de rebus ad disciplinarum cultum pertinentibus cum eo communicarent, eiusque arbitrio haud parum in controuerfiis inter fe enatis auctoritatis deferrent. Cuius specimina tum in epistolis eius, tum alibi haud contemnenda occurrunt. Maxime tum temporis caput inter Gallos efferre coeperat geometria fublimior atque interior, in qua eo tempore hospitem fe adhuc plane fuiſſe alicubi <sup>d</sup> fatetur. Aſt eo tempore Chriſtiani Hugenii, cui poſt Galilaeum et Cartefium plurimum tum debebat iſta ſcientia, notitiam naſtus, cum legeret eius librum *de Horologio oſcillatorio*, adiungeretque Des Honuillaei, id eſt PASCALII *Epistolae*, et GREGORII A S. VINCENTIO opus, de *Quadratura circuli et ſectionibus conicis*, ſola animi perſpicacia vique diuina ingenii adiutus, ſubito maximam lucem hauit, et ſibi, vt ipſe ſcribit, et aliis quoque, qui eum in his nouum norant, inexpectatam, idque mox ſpeciminibus datis oſtendit. Mirari ergo quis queat, eum in tam difficili arduoque opere totum occupatum, provinciam potuiſſe pati hanc ſibi imponi a duce Montauferio, et qui eius nomine rem vrgebat, Petro Daniele Huetio, vt ad Martianum Capellam in vſum Delphini illuſtrandum operam ſuam conferret; quam eum perfeſſe, ſed ſchedas furto ſubtractas amiſſe narrant *Acta eruditorum* <sup>e</sup>, Vnde verifimilius putamus eſſe, quod FELLERVS <sup>f</sup> narrat, monitum ea de re, fatius fore putaiſſe, ſi tam effuſi ſumtus in detegenda naturae arcana et ſcientias parum excultas impenderentur, quam quod auctores iſti, poſt nitidas Belgarum editiones et notis variorum exornatas, paucis immutatis alia tantum veſte in lucem ederentur. Quanquam verum quoque eſt, etiam huic labori vna cum geometriae arcanioris ſtudio, cui ſe totum tum tradiderat, ſuffeciſſe ingenium Leibnizii vaſtiſſimum. Quicquid autem illius rei fuit, id ſane ex dictis eſt maniſeſtiſſimum, magnitudinem ingenii Leibniziani mature effuſiſſe. Factum inde eſt, vt cum fatiſ erepto Boineburgio patre, filius moderatore haud amplius egeret, Leibniziusque abitum pararet, retinere ipſum teſte FONTENELLIO <sup>g</sup>, oblata regis gratia, munereque et honoribus haud contemnendis, haud pauci conarentur. Sed cum Proteſtantium communionem, quam ſequebatur, eccleſiaſticam deferere nollet, nec placeret tranſitus ad Romanam eccleſiam, fauorem hunc fatorum oblatum generoſo peſtore reſpuit, annoque 1676 in Britanniam abiit.

§. X. Primum autem, quod agendum ſibi eſſe credebat Leibnizius in inſulam delatus, erat, vt in virorum doctiſſimorum notitiam veniret, quibus ad augendas animi diuitias vti poſſet. Facile autem viam illi parauit doctrina atque virtus apud omnes conſpicua, et amicitia Collinsii atque Oldenburgeri, qui regiae ſocietati ab epistolis tum erat. His parariis, quiſquis eruditionem ſpirabat, imprimis mathematicarum diſciplinarum periti,

*Inter Leibnizii Britannicum prius.*

Xx 3

d) Aſ. erud. 1691. Sept.  
e) In Elogio Leibniz. l. c.

f) loc. cit.  
g) loc. cit.



*Alterum iter  
Gallicum.*

*Alterum iter  
Britannicum.*

periti, musea pariter atque pectora illi recluserunt, virumque praestantissimum ad amicitiae iura admiserunt. Inter quos si vnum Isaacum Newtonum nominauerimus, satis dictum esse putamus. Ita vero et augendis geometriae sublimioris luminibus, et reliquis, quae vrgebat *εὐρύμασι*, inter quae eminent machina arithmetica, ab ipso illustri viro in *Miscellaneis Berolinensibus* <sup>b</sup> depicta, tempus impendendi vtilissimam occasionem nactus est. Ast dum laeti florent rerum Leibnizii successus, oborta ex improviso tempestas, omnem fortunam euertere minatur. Obiit enim hoc anno c1o1o c1773 elector Moguntinus, cuius morte extincta simul fuit omnis, quae haecenus succreuerat spes emergendi, quin et stipendium haecenus illi solui solitum desiit. Quae tamen, cum deprimere animum quoque fortem atque magnum potuissent, Leibnizium non fregerunt, Dei potissimum benevolentia, ingenique quod ab eo acceperat, opibus nixum. Relicta ergo Britannia Lutetiam reuersus est, quo loco sibi conatum auxilia exoptatiora promittebat; vt vero futurae quoque fortunae consulere, ad Ioannem Fridericum, Brunsvicensium ducem scripsit, eiusque gratiam, qua diu iam fruebatur, implorauit. Is, quanto non prudentiae modo ciuili, et artium mathematicarum praesidio, sed et *πολυσοφίας* laude esset inclytus Leibnizius, probe intelligebat; vnde profuturum rebus suis ratus, si hunc sibi virum vindicasset, consilarii aulici et bibliothecarii munus cum stipendio lauto ei obtulit, permittens simul, vt Lutetiae moram facere, vsque ad perfecta conanima, et imprimis absolutam machinam arithmeticam, liceret. Qui nuntius vt exoptatissimus nostro accidit, ita ad augendam industriam eum calcaris instar excitauit. Factum inde, vt ita laudatam machinam perficeret, vt eius copiosiore, quam Londini ediderat, delineationem Colberto, qui scientiis artibusque amplissime apud regem fauebat, itemque Academiae scientiarum offerre posset. Quae cum ingenii Leibniziani magnitudinem et doctrinae excellentissimae merita satis nosceret, anno c1o1o c1775 primum ei locum inter externos, albo suo inscriptos designauit. Quem honorem vt meritis sibi peperit Leibnizius, ita nouis indies inuentionibus tueri fategit, de quibus tamen, cum ad mathesin pleraeque spectent, dicere plura hoc loco nihil attinet. Eodem vero anno relicta Gallia iterum in Britanniam soluit, vt quae noua detexisset, cum geometris communicaret, anno autem sequenti, nempe c1o1o c1776, ad Batauos abiit, vbi incidit in Huddenium, Amstelodamensis vrbis consulem, quem cum arcana geometriae sublimioris plurima detexisset, et inuenta egregia in chartam coniecisse comperisset Leibnizius, qui de augendis et amplificandis praestantissimae artis limitibus mire erat sollicitus, impense laetatus est <sup>i</sup>. Tandem absoluto itinere Hannoueram petens, circa auctumni initia sospes aduenit, benigne

<sup>b</sup>) Hist. huius inuentionis in compendio enarrat L V D O V I C I P. II. §. 328. p. 233. sqq. Conf. P. I. §. 463.

<sup>i</sup>) Conf. A. E. loc. cit.



benigne a principe suo exceptus, cuius iussu anno 1701 locum in consilio aulico occupavit.

§. XI. Ita sedem fixam certamque nactus Leibnizius in id totis viribus incubuit, ut et principi suo, quem optimum experiebatur, utilissimum, et scientiis tantum non omnibus exoptatissimum se praestaret. Et ante omnia quidem bibliothecam a principe collectam, cuius cura ipsi demandata erat, accurate disponere, augereque studuit, unde hero suo suavit, ut Martini Fogelii, medici et professoris Hamburgensis <sup>k</sup> bibliothecam, libris rarissimis atque optimis magno iudicio conquisitis refertam aere suam faceret; quo pacto insignem accessionem ad hanc bibliothecam fecit. Deinde ut reditus quoque ducis sui augetet, de emendandis metalli fodinis cogitans, egregia auxilia detexit, quibus aquae subterraneae, illis tantopere inimicae exhauriri possent. Quae cum duci magnopere placuissent, amplumque Leibnizio stipendium is decreuisset, perducere ad optatos euentus magno labore studuit; morte principis autem praeventus desistere ab eo consilio coactus est. Sed et alia ratione Mannoueranae domui fidei et deuotionis praestandae modum suppeditauit Leibnizio conuentus procerum pacis pangendae causa Nouiomagi eo tempore habitus. Cum enim Gallorum legati Germaniae principibus praeter electores legationis ius competere negarent, noster id asserere, licet personatus, edita demonstratione politica, conatus est. Enata inde CAESARINI FURSTENERII tractatio *de iure suprematus ac legationis principum Germaniae*. Quem libellum, cum singularia multa complecteretur, Leibnizius autem nomen studiose reticeret, alii Ludolpho Hugoni, alii Esaiiae Pufendorfio, alii Ezechieli Spanhemio, alii Bernardo Koehne, quorum nomina tunc inter rerum politicarum consultos eminebant, tribuerunt, certo iudicio, talem istum laborem esse, cuius poenitere summos viros haud debeat. Quamuis fuerint, qui displicere in eo sibi nonnulla sint professi <sup>m</sup>. Nunquam autem, quod mireris, se auctorem illius libelli auctor professus est, forte quod regum electorumque aulas, quae alia sentiebant, quasque passim fauentes habebat, offendere nollet. Post curas has publicas, quas principi suo debebat, de scientiis quoque amplificandis sollicita fuit indefessa, *καλκνντέρου* Leibnizii diligentia. Et memorabile imprimis est, hoc anno 1701, XII Cal. April. primam calculi differentialis a se inuenti mentionem fecisse Leibnizium ad Isaacum Newtonum, qui paulo ante in literis de calculo fluxionum a se detecto ad eum scripserat, eum autem aenigmatice tantum indicauerat <sup>n</sup>. Porro et mechanica nonnulla et chemica noua in lucem produxit, interque haec nouam phosphori rationem

*Labores Hannoveri.*

k) De praestantissimo hoc viro consulendus MORNOFIVS Polyhist. T. I. L. I. c. 7. p. 61.  
l) Prostat catalogus Hamb. 1679. 8. editus, et tum raritate tum selectu librorum commendandus.

m) Historiam libelli vide in Bibliotheca imperantium p. 263. conf. REIMMANN. Hist. Lit. Germ. P. V. p. 262. not. O.  
n) Tangemus hoc argumentum infra.



tionem a Brandio detectam viris doctis significavit <sup>o</sup>, eamque postea in Ephemeridibus Parisiensibus et Berolinensibus vulgavit. Tacemus alia ad Cartesianas et Stenonianas controuersias pertinentia, quae in literis ad amicos agitavit; nulla enim eruditionis pars erat, in qua non virum se praestaret Leibnizius.

*Acta Leibnizii ab anno 1679.*

§. XII. Feralis fuit Leibnizio annus sequens c1o 1o c1lxxix, ille enim fatali morbo principem optimum et beneficentissimum ei abstulit, cuius memoriam carmine heroico celebrauit; in quo tantam artis poeticae facultatem, canendique elegantiam prodidit, vt mirabile prorsus sit, virum in abstrusis speculationum geometricarum mysteriis rimandis, et politico argumento excutiendo totum occupatum, tam facilem felicemque venam potuisse prodere. Verum ea singularis erat ingenii Leibniziani felicitas, vt omnibus sufficeret, nihilque attingeret, in quo non praestantiam demonstraret. Talis cum esset, negligi a defuncti fratre, qui in ducatu successerat, vir tantus non potuit. Ab Ernesto Augusto enim, regiminis habenas capeffente, inter consiliarios aulicos esse DC. thalerorum stipendio conuictuque et domicilio aulico auctus iussus est: quamuis ipsi imperatori seruiendi occasionem captaret, post mortem Petri Lambecii. Is enim cum caesareae bibliothecae praeesset, et historiographi titulo gauderet, conuenientissimum rebus suis iudicauerat Leibnizius, si ea sparta potiretur, admittus simul in consilium aulicum, qua de re epistolam eius vulgavit Cl. FELLERVS <sup>p</sup>. In qua laborum suorum rationem ita exponit, vt dicat, *se fodinis aquarum incommodo laborantibus subueniendi opere detentum spem habere, intra paucos menses rem confectum iri; hosque se iam cogitationibus delectari, et quod ab officio otii est, subinde mathematicis studiis impendere, quibus videat, pleraque tum oeconomicae tum etiam militaris scientiae arcana contineri.* Probant id egregia multa, quae ab eo tempore vulgavit, specimina; nam et aërometriam, quam iuuare conabatur Samuel Reyherus, augere, et de organo auditus cum Gunthero Christophoro Schelhammero conferre, et alia multa cum eruditis communicare studuit <sup>q</sup>. Cuius egregiam occasionem nactus est, cum laudatissimo Actorum eruditorum instituto, quod anno c1o 1o c1lxxxiii auctore Ottone Menckenio coepit, socius accessisset. Ab eo enim tempore obseruationibus quam plurimis istis Ephemeridibus insertis disciplinas mathematicas et philosophicas auxit, libros praestantissimos, maxime ad mathesin spectantes recensuit, et in hoc agro foecundissimi ingenii femina ita sparfit, vt laetissima inde innumerorum inuentorum messis exurgeret. Id quod accurata elegantissimorum schediasmatum Leibnizianorum, quae istis Ephemeridibus inserta sunt enarratione demonstrari operae pretium esset, nisi hanc paginae nostrae prolixitatem refugerent. Vnde lectorem

<sup>o</sup>) Consulendus Cl. LVDOVICI I. c. §. 69.

<sup>p</sup>) In orio Hannoverano p. 1. 199.

<sup>q</sup>) Conferendae sunt Collectiones epistolarum

Leibnizii, et in Compendio LVD. loc. cit. §. 87. 199.



lectorem ad ipsam praestantissimae collectionis inspectionem dimittimus, commendato cel. LVDOVICI indice, qui recensiones et observationes Leibnizianas omnes in *Actis Eruditorum* extantes accurate indicavit. Nos id vnum obseruamus, nullam fere matheos, maxime, quae pura dicitur, partem esse, quae non in hoc eruditionis horreo ab ingenio Leibniziano insignem accessionem atque augmentum acceperit, multas esse, quas ad summum perfectionis apicem perduxerit. Qua de re ad eius proportionem circuli ad quadratum circumscriptum in numeris rationalibus, ad aequationem exponentialem, ad nouum principium catoptricum et dioptricum, ad specimen dimensiones figurarum inueniendi, ad methodum de maximis et minimis, ad methodum nouam tangentium, ad calculum differentialem, ad obseruationes staticas, de momentis grauium in planis inclinatis, ad meditationem de natura anguli contactus et osculi, ad problema de linea catenaria seu fuculari ad specimen dynamicum, et complura alia prouocamus. Quibus iungi debent obseruationes atque dissertationes, quas ephemeridibus literariis Parisiensium aliisque passim inseruit. Quorum omnium historia hoc quidem loco exponi non potest, merentur autem matheos acta insigni capite de meritis Leibnizii in hanc artem praestantissimam a viro rerum harum accurate perito augeri. Magis ad nostrum institutum spectant philosophicae meditationes ab eo tempore *Actis eruditorum* insertae, inter quas primum locum occupauere editae anno 1714 meditationes de *Cognitione, veritate et ideis*, in quibus rationali philosophiae noua accendere lumina salegit. Quas cum infra exhibituri simus, hoc loco de iis plura dicere nihil attinet.

§. XIII. Tanta cum luce quotidie illustrior coruscaret eruditio Leibniziana, isque in omni disciplinarum campo cursum prae aliis egregie absoluisset, eius opera ad res serenissimae domus Brunsvicensis describendas ab Ernesto Augusto, Luneburgensium duce, adhibita est. Cuius principis iussu atque sumptibus 1717 iter literarium ingressus est, vt ex tabulariis, bibliothecis, monasteriis, et quaecumque aditum permitterent, adytis literariis monumenta colligeret, quibus illustrari atque in apicum produci posse historiam domus serenissimae posse iudicaret. Perlustrauit autem primo quidem haud contemnendam Germaniae superioris partem, Franconiam, Sueuiam, Bauariam, Austriam, et nec bibliothecas publicas, maxime Caesaream, nec archiua atque tabularia principum et ciuitatum, nec forulos monasteriorum, nec priuatorum quoque thesauros literarios neglexit, vt heri sui iussibus obsecundaret. Tum in Italiam progressus, in qua Estensem familiam vnā cum Brunsvicensi originem habuisse nouerat, simile institutum fauentibus passim viris doctis, vrgeri gnauiter perrexit. Neque tamen huic vni negotio attentionem suam

*Iter Leibnizii ad colligenda monumenta Brunsvicensia.*

1) Vol. I. c. 7, Vol. II. c. 13.



suam destinavit: sed cum ingenii vastitas pluribus sufficeret, ad consueta quoque studia respexit, et imprimis mathesin porro iuuare, transmissis ad collectores *Aetorum eruditorum* obseruationibus, respondere viris eruditis, qui dubia obiecerant, explorare naturae artisque opera, et curam augendarum disciplinarum nunquam deponere annisus est. Maxime tunc mechanicae atque rebus ad metalli fodinarum culturam pertinentibus valde fauit, nihilque in eo itinere neglexit, quod ad hunc scopum facere posse intellexisset. Id quod occasionem *ECCARDO* dedit, conquerendi, non tantum in vrgendo scopo primario, et publico studium adhibuisse Leibnizium, quantum in hoc secundo et priuato, nec satis feliciter hoc itinere ad augendam historiam Brunsvicensis fuisse usum. Negant id tamen alii, monentes amplissimam Leibnizii eruditionem et industriam plane stupendam vtrique labori abunde suffecisse, et haud contemnendam supellectilem monumentorum ad historiam Luneburgensem pertinentium, secum reducem attulisse. De qua resententiam interponere nobis non licet, qui quid reportauerit Hanoueram, ignoramus, vix autem persuaderi nobis patimur, Leibnizium τὸ ἔργον, quod iniunctum illi erat, adeo neglexisse, vt πάρεργα ei praeponeret; recordamur quoque, quanta difficultates superandas patiantur, qui arcana nonnunquam rerum veterum conclaui adire, perreptare bibliothecarum forulos, et ἀνέκδοτα inde protrahere in lucem satagunt. Quibus si sufflaminata fuerit viri magni industria, nihil inde redundat, quod eum culpa premat.

*Reuersi studia  
et labores.*

§. XIV. Reuersus ad lares Leibnizius pristinum cursum maxima industria perficere aggressus est, et tum diuini ingenii felicitate noua ἐπιμύματα mathematica cum orbe erudito communicauit, tum iurisprudentiae methodum emendare, reconcinnare collectionem iuris, et in formam artificiosi systematis leges coniungere denuo tentauit. Quo in arduo negotio viros quoque doctos iurisperitissimos socios sibi adsciuit. Quanti autem laboris opus susceperit, quantum in eo profecerit, quam inde legum scientiae lucem accenderit, quid absoluere conatus laudatissimos impediuerit, hoc loco enarrari non potest, sed ad iurisprudentiae historiam recentiorem pertinet, rem vero omnem eleganter complexus est *Cl. LVDOVICI* <sup>u)</sup>, qui videndus. Eadem ratio est, cur quae hoc tempore inter Leibnizium et Paulum Pellissonium de tolerantia et illis religionis capitibus, quae Romanam et Protestantium ecclesiam disiungunt, disputata et ab ipso Pellissonio inuito et aegre ferente Leibnizio <sup>x)</sup> vulgata sunt, praetereamus, quamuis partis studio non occupato prodant, etiam in religionis negotio accuratationem philosophicam et iudicium, quo Pellissonium longe anteuertebat, eum demonstrauisse. Quod qui negat, aut nos fauori aliquid dedisse putat, eum illa recolere iubemus, quae de fide

u) In Annot. ad vitam Leibnizii a Fontenellio scriptam.

x) Anonymus ad h. l.

u) l. c. §. 103. p. 106.

x) Vid. *Cl. KORTHOLO Praef.* ad Vol. I. Epp. Leibniz.



fide ac rationis et philosophiae vsu inter vtrumque virum doctissimum disputata sunt, cum caussae suae diffusus Pellissonius, earum testimonium eiuisset, inque Scepticorum castra transfugisset. Aliter instituens Leibnizius ita philosophiae praesidio fidebat, vt non obstare eam reuelationi Pellissonio post traditionis carecta latenti demonstraret. Ceterum eodem anno cło Io c x c i ab Antonio Virico, Guelpherbyitano Duce consilio aulico adscriptus, curamque illustris bibliothecae habere iussus est: ipse in variis Ephemeridibus literariis more suo obseruationibus praestantissimis iuuare artes mathematicas et philosophiam perrexit, controuersiae hydraulicae inter Guilelminum et Papinum ita arbiter intercessit, vt quanti viros de scientiis praeclare meritos faceret, et quam longe a fastu paedagogico abesset, omnes intelligerent <sup>z</sup>.

§. XV. Abunde viri doctissimi officio fecisse satis Leibnizius censendus esset, etiam si plura ad promouendas literas non fuisset molitus: at suppeditauere inexhaustae diligentiae et vastissimae lectionis viro alia quoque ad ius publicum pertinentia doctrinae praestantia et vsus atque exercitatio, summa iudicii acie instructa. Occasio autem enata ex conatibus heri sui, Ernesti Augusti, ducis Hannouerani, cui spes potiundae dignitatis nouae electoralis tunc enascebatur. Cum enim in actis tum imperii Romani publicis, tum serenissimae domus Luneburgensis et Brunsvicensis, Leibnizius esset versatissimus, et acute vbique videret, tabularia principis, autem omnia ei paterent, tanta industria, tantoque pro serenissima domo studio in eruendis eius iuribus, priuilegiis, praerogatiuis et similibus defudauit, vt vtilissima inde illustrissimo Platenio, qui res futuri electoris in comitiis curabat, auxilia exsurgerent, annoque cło Io c x c i i res omnis ex voto finiretur, adscripto celsissimo principe electorum collegio. Ita vero dum historiam antiquissimae domus scrutatur, et res eius ab ovo quod aiunt orditur, initio facto ab ipsis originibus, enatae viro foecundissimi ingenii nouae de statu terrae primaeuo post diluuii tempora cogitationes, naturalem historiam mire illustrantes <sup>a</sup>, quarum compendium *Actis eruditorum* <sup>b</sup> inseruit, integras autem in chartam coniecit, quas transmissas collegio Sorbonae calculum eius meruisse testatur, qui ad biographiam Leibnizii, Germanice versam annotationes adiecit. Neque tamen exiguae tantum molis libellis eruditionem in hoc quoque genere prodidit, licet vbique praeclara atque vtilissima funderet, sed cum actorum publicorum, chartarum atque monumentorum insignem prorsus aceruum collegisset, isque vndeque augeretur, praeter historiam Brunsvicensem, cui saxo volendo ex domini sui iussu

Y y 2

prae-

v) Vid. p. 337. Ed. Fell. vbi satis prodidit Pellissonius, triumphare se cum interitu philosophiae, malleque ineptas nugas, si suae parti fauerint, quam veritatem rationibus philosophicis probatam. Sed et reliqua apertum Pyrrhonismum sa-

piunt; sine his enim armis tela Leibniziana effigere erat impossibile.

z) Vid. Act. erud. 1692; Sept.

a) Eas, Protogaea, appellauit.

b) 1693. Ian.

*Studium  
Leibnizii in  
illustrando  
iure publico.*



praecipue inuigilabat, totius quoque Europae historiam publicam, et quod illi potissimum innititur ius gentium publicum illustrare aggressus est. Vocauit autem, praeter collectanea tanto studio congesta in subsidium, bibliothecae Augustae Guelpherbytanae, his diuitiis mire splendentis codices, monumenta regia aliaque auctoritate et fauore principum ex tabulariis publicis collecta, libros rarissimos, in quibus acta publica deprehenduntur, verbo, quicquid argumentum nobile et grauissimum illustrare et perficere posse iudicabat. Accessere studia et beneuolentia virorum doctorum, qui conatus laudatissimos illustris viri, pro viribus iuuare atque promouere contenderunt, qua in re humanitatem Ezechielis Spanhemii, Boifotii, Christophori Schraderi, Io. Alberti Heugelii, Gerardi Meieri, Greifencranzii, Io. Georgii Graeuii, Pauli Voëtii, Gilberti Burneti, Thomae Rymeri, Thomae Smithi, Sparuensfeld, aliorumque laudauit. Ita tandem, consultis quoque praestantissimis collectionibus historicis prodiit anno cLo lO cXcIII *Codex iuris gentium diplomaticus, in quo tabulae authenticae actorum publicorum tractatum, aliarumque rerum maioris momenti per Europam gestarum, pleraeque ineditae vel selectae, ipso verborum tenore expressae ac temporis serie digestae continentur, a fine seculi undecimi ad nostra usque tempora.* Cuius libri praestantissimi historiam hoc loco enarrare, institutum vetat, consuli autem non sine fructu viri docti possunt, qui hanc operam susceperunt <sup>c</sup>, maxime autem legenda sunt, quae illustris auctor more suo doctissime tum in primum codicis tomum, tum in alterum, qui mantissam continet, est praefatus <sup>d</sup>. Nobis id annotasse sufficiat, quod et FONTENELLIUS <sup>e</sup> obseruauit, virum summum non modo ingenio, quod supra modum acutum et elegans nutriebat, sed et ferrea diligentia et studio indefesso, quod ad publica emolumenta referebat humanae societatis, amor, et iudicium rectum, literis pariter rebusque publicis prodesse voluisse, et omnium quoque bonorum expectationem expleuisse.

*Labores philosophici  
Leibniziani  
eo tempore.*

§. XVI. Reuersus ab hoc labore historico ad consueta studia, ad refingendos philosophiae primae siue ontologiae vultus animum applicuit. Cui labori eo magis par erat excelsum Leibnizii ingenium, quo magis totum erat ad metaphysicas speculationes quasi natum, systemati autem apte et cohaerenter concinnando omnium aptissimum. Indignabatur autem vir acutissimus, scientiam nobilissimam, ex qua communia recte sentiendi et definiendi principia hauriri debeant, in inanem terminorum notitiam esse mutata. Hinc qua ratione emendari posset, quidque substantiae notioni, quam velut fundamentum, substernendam esse reliquis statuebat, esset addendum, peculiari obseruatione, actis eruditorum <sup>f</sup> inserta explicuit; multos in ea re assecras nactus, quamuis Cartesianis, maxime

RVAR-

<sup>c</sup>) Act. erud. 1693. Mart. August. LVDOVICI l. c. §. 361. p. 386.

<sup>d</sup>) Extat vtraque praefatio Vol. III. Epp. a KORTHOLO editarum p. 168. seqq.

<sup>e</sup>) loc. cit.

<sup>f</sup>) 1694. Mart. p. 110.



RVARDO ANDALAE <sup>g</sup>, aliisque vis illa actiua, conatusque substantiae mire displicuerit. Ipse vero Leibnizius, cum hoc pacto naturam rerum, ipsasque motus leges modo simplicissimo recludi posse crederet, quadriennio post eandem assertionem, commentatione de *Ipsa natura suae vi insita*, repetiit. Alios labores tum ad geometriam, tum ad artem salutarem, tum ad ius publicum pertinentes, quos hoc anno exclusit foecundissimum Leibnizii ingenium, cum ad tractationis nostrae argumentum non pertineant, breuitatis causa praeterimus <sup>b</sup>.

§. XVII. Nouis philosophiam accessionibus auxit inexhausta Leibnizii doctrina anno sequente c1o 10 c xcv. Cum enim deprehendisset, falsas motus leges sibi concepisse Cartesium, de veris earum fundamentis atque principiis dispiciens, nouam de viribus substantiarum scientiam tandem meditatus est, ex qua omnis mechanismi ratio simplex atque naturalis posset deduci, et mensura virium, maxime viuarum definiri. Quia tamen, quam animo conceperat, scientiam nouam, quam dynamicen salutabat, integram exponere, tot simul laboribus obrutus non poterat, *Specimen dynamicum actis eruditorum* <sup>i</sup> inseruit, ex quo multa postea materia viris doctis enata est, de mensura virium disputandi, quae hoc loco enarrare nihil attinet. Quemadmodum hoc tempore ad dubia a clarissimo viro, Bernardo Niewentyt contra calculum differentialem eiusque usum in resoluendis problematibus geometricis proposita, more suo, id est acute et humaniter respondit <sup>k</sup>. Nullae autem in argumento magis aut ingenii Leibniziani vis emicuit aut nouitas hypotheseos omnium in se oculos conuertit, quam in nouo, quod hoc anno in *Ephemeridibus Parisiensium literariis* <sup>l</sup> vulgauit, *Systemate de natura et communicatione substantiarum, itemque vnione inter corpus et animam intercedente*. In quo famigeratissimam hypothesin de harmonia inter animam et corpus praestabilita, de qua infra ex instituto dicemus, prima vice cum philosophico orbe miro et diuerso euentu communicauit. Anno c1o 10 c xcvi nouis honoribus Leibnizius ab electore Hanouerano auctus est, cum merita eius de domo Brunsvicensi in dies crescerent et augerentur. Declaratus enim consiliarius iustitiae intimus et historiographus electoralis, non titulo modo, sed emolumentis quoque gauisus est, quamuis vitae pragmaticae rationi non adstringeretur, nec in confessu administratorum status locum caperet, nisi cum de rebus ad historiam et ius publicum spectantibus consuleretur, vt in causa Saxo-Lauenburgica, et in controuersia cum duce Wirtembergico accidisse, Ludolfo Hugone, Vice-cancellario Hanouerano, dirigente et dicendi rationem emendante, obseruauit Cl. FELLERVS <sup>m</sup>. Ita vero nouis exci-

Acta literaria Leibniziana anni MDCXCV.

Yy 3

tatus

g) In diss. de Vera notione substantiae, quae extat, in Pentade dissert. philos. diss. I.  
h) Consulendus LVDVIC. I. c. §. 363. seqq. p. 394. seqq.

i) 1695. p. 145.  
k) ib. p. 310.  
l) 1695. Iuin. p. 444. 455.  
m) Supplem. vit. Leibniz.



tatus stimulis pro causa atque gloria heri sui omnem mouere lapidem maxima contentione studuit. Cumque serenissimae domus Brunsvicensis historia eum quotidie occuparet, ab eo tempore coeptum tramitem noua opera et maiori industria proficere, et adiutus ministerio virorum doctorum, maxime Ioachimi Fridr. Felleri, et Io. Georgii Eccardi, quos in laboris societatem adsciuerat, quaecumque in amplissimo historiae medii aevi campo reperire poterat ad Brunsvicenses res facientia mira patientia collegit, digessit, et in horrea sua retulit. Cuius generis curis cum interponere gaudia soleant alii, ipse ad philosophiae hortos diuertit, et eius delicias medii aevi taedia leuauit. Ex qua recreatione philosophica, exortae *Meditationes* eius in Io. LOCKII *Librum de Intellectu humano*, in quibus debitis quidem laudibus ornat opus praestans et acutum, non diffitetur autem displicere sibi ea, quae contra ideas innatas, de idea substantiae, de anima interdum actu non cogitante, de idea vacui, de forma logica, philosophus Anglus diseruit, quamuis ea non obstare putet, quo minus accessiones maximi momenti ad philosophiam factas esse a Lockio dici possit. Quo iudicio aequissime et non sine meritorum Lockianorum laudibus lato, valde tamen et ipsum Lockium, et amicos eius Guilelmum Molinaeum et Ioannem Clericum offendit, quorum iniquitatem inferendo de hominibus nostris iudicio accurate solideque demonstrauit celeberrimus Io. CHRISTOPH. GOTTSCHEDIVS<sup>o</sup>, dignus fama Leibniziana vindex. Reliquum, quod a labore, cui praecipue se deuouerat Leibnizius supererat, tempus amplificandae defendendaeque hypothesi harmoniae praestabilitae impendit, et ad obiectiones Foucherii respondit, breuibus autem descriptionibus philologiam illustrauit, id cauens, ne vlla in re, etiam in literis, otiosus esset, diceretque aliquid, quod non esset vtilissimum.

*Inuenta  
arithmetica  
binaria.*

§. XVIII. Habet porro annus MDCCXCVII aliquid noui profectum a Leibniziano ingenio, quod admirationem orbis eruditi meruit. Nempe creationis ex nihilo atque vno, id est creatore, imaginem delineaturus nouum computandi genus ex nihilo atque vnitatis signo constans, mira ingenii felicitate detexit, quod arithmetica binariam siue dyaticam appellauit. Non patitur locus atque tractationis ratio, vt quo pacto numerandum esse solis signis O. et I. doceat vir maximus ingenio, quoque serierum fundamento nitatur, quam vtilitatem prae arithmetica denaria habeat. Exponenda haec sunt in historia arithmeticae, in qua nobilissimam atque elegantissimam partem constituit. Id historiae Leibnizianae causa modo enarrandum, viginti atque amplius annis virum illustrem hanc numerandi viam iam in animo habuisse, isto autem quem diximus anno delineato numo maioris molis, ad explicandum creationis ex nihilo mysterium elegantissimum *Συνημα* primum adumbrasse, dicasseque Rudolpho Augusto Brunsvicensium

n) Extat in Collect. Schediasmatum philos. Leibnizii, Clarkii, Neutoni etc. T. II. p. 143. et T. III. Opp. Lockii Londini 1717. editorum,

o) In Progr. de Iniquitate exterorum in ferendo de eruditis nostratibus iudicio illustrium virorum Io. Lockii et Wi'h. Molinaei exemplis confirmata.



sum duci, prolixius autem exposuisse in epistolis ad Io. Christianum Schulenburgium <sup>p</sup> perscripisse quoque mysterii huius rationem ad Claudium Philippum Grimaldum, qui tunc ex societatis patribus tribunali mathematico apud Sinenses praeerat, eique ac sociis persuasisse, clauem hanc esse sapientiae Fohianae, a tot seculis ipsis Sinensibus deperditae. Quae de re cum in fine tractationis aliquid dicendum sit, hic plura non cumulamus. Consuli autem possunt quae pro mysterio hoc arithmetico enucleando vulgauerunt RVD. AVGVSTVS NOLTENIVS <sup>q</sup> et Cl. KOEHLERVS <sup>r</sup>. In reliquis quibus de re literaria hoc anno mereri annifus est vir celeberrimus, laboribus de Cartesii philosophia ad Nicasium disseruit, de rebus Sinicis nouissimas relationes vulgavit, suo quoque loco a nobis tangendas, et capita quoque nonnulla ad historiam Germaniae veteris et medii aevi pertinentia eleganter illustravit. Anno autem sequenti *Accessionum historicarum, siue monumentorum nondum haecenus editorum* Tomos duos publici iuris fecit: In argumento philosophico autem, cum de notione naturae eiusque vi, et operatione inter se digladiarentur Ioannes Christophorus Sturmus et Guntherus Christophorus Schelhammerus, dynamica principia iam ante proposita contra obiectiones Sturmianas confirmavit illustravitque <sup>s</sup>. Et eandem quoque viam ad decursum seculi expirantis tenuit; semper enim aliquid noui eruditae ciuitati legendum dedit, quod vel geometriam perficeret, vel calendarium emendaret, vel historiam ciuilem pariter atque literariam iuuaret, quae recensere omnia, loci huius non est, videndus autem, qui cuncta pulchre complexus est, biographus Leibnizii Cl. Ludouici. Hoc vero tempore quoque P. Baylio, dubia contra harmoniam praestabilitam neccenti respondit.

§. XIX. Illustre autem profus est, quo sibi ciuitatem eruditam immortaliter deuinxit Leibnizius, meritum, cuius euentus laetissimus ver-  
tente seculo apparuit. Nempe totus exardescere vir suo iure magnus in  
literarum incrementa promouenda, omnemque lapidem mouebat, vt et  
ipse ex abundantissimo penu quotidie noua conferret, et alios ingenio at-  
que doctrina praestantes ad similes conatus perficiendos exhortaretur.  
Probe autem et ratione inductus, et exemplis Galliae atque Britanniae con-  
uictus nouerat, nihil magis proficuum esse literis, quam si mutuas inter  
se manus viri docti iungant, inuitoque foedere, positisque legibus suas sym-  
bolas ad emendandas et augendas disciplinas conferant. Cui fini obtinen-  
do, vt erat animo magno, cum valiturum praefidium atque medium adhi-  
bendum esse statueret, Fridericum I. Borussiae regem, principem vere  
magnum

*Societatis  
Scientiarum  
Berolini con-  
stituentiae  
auctor Leib-  
nizius.*

<sup>p</sup>) Infernae sunt eius consilio de concilianda festorum cum Paschate ratione, Lips. 1724. edito p. 183. 186.

<sup>q</sup>) Pec. Schediasmata Lips. 1734. edito, vbi nummi a Leibnizio inuenti delineatio quoque exhibetur. Add. Appendix ad Germ. Verf. Theodiceae, quae narratio ex TENZELI Colloquiis mensuris hausta est.

<sup>r</sup>) In versione Monadologiae Leibnizianae, ipsam illustris viri epistolam ad ducem Brunsvicensem p. 103. seqq. adiecit.

<sup>s</sup>) A. E. 1698. Sept. diximus de hac controuersia in Vita Sturmii parte antecedente. Conf. Vol. I. Epp. p. 25.



magnum et amplissime literis fauentem in partes pertrahere constituit. Illum igitur cohortatus est, vt exemplum Ludouici XIV et Caroli II, imitaturus, societatem scientiarum regis auspiciis conderet, viros doctos concessis priuilegiis ad augendum disciplinarum honorem excitaret et hoc pacto nouam Musis sedem in aula sua panderet. Haec, vt efficax erat eloquentia Leibnizii, regi praefens persuasit, virosque doctissimos ipsosque ministros regis ea in re socios laboris et commodationis habuit, eo euentu, vt, ruptis tandem, quae consilium laudatissimum sufflaminauerant, impedimentorum repagulis, res omnis perficeretur, et, imposito prius nouo regi diademate regio, anno sequenti recenti societati praeesse Leibnizius, etiam absens iuberetur. Quo axiomate bonis auius, felicissimisque, pro republica literaria auspiciis ornatus, omnem in id vires contulit, vt viros vndeque colligeret, et eruditionis laude et scriptorum gloria commendatissimos, qui datis societati nouae nominibus symbolas suas ad amplificandas literas, maxime philosophiam, mathematicam et philologiam conferrent, et exempla exterorum laudabili aemulatione sequerentur. Qua in re gnauiter vrgenda, quam sedula fuerit Leibnizii contentio, ex epistolis eius a Cel. KORTHOLO<sup>o</sup> editis abunde constare potest; His vero artibus adeo gratiosum se optimo principi, gloriam ex literis promotis sibi iustissimam quaerenti reddidit, vt singularia prorsus benevolentiae regiae specimina multoties acciperet. Immo non regis tantum sapientissimi gratia frui, sed et optimae reginae, quae parem in sexu suo eo tempore et virtutis, et doctrinae cultu non habebat, et amplissime viris doctis fauebat, eorumque colloquiis mire gaudebat, placere et frequenter illi adesse Leibnizio licuit. Qui vt animum maiestati gratiaeque regis deuotissimum testaretur, cum literariis consiliis bene coepta secundauit, tum ex rarissimae eruditionis historicae penu in controuersis illustribus regiae domus, status ministris, qua possent ratione impiger adfuit. Interrupit tamen nonnihil laudabiles conatus morbus, quo aliquot menses anno 1703 Berolini aegrotauit.

*Acta Leibnizii anno 1703 seqq.*

§. XX. Quod Berolini tam laeto successu voluerat saxum, Dresdae quoque in aula Poloniae regis similiter voluendum sibi esse ratus Leibnizius, quod conuictus esset, maximo animo fauere literis principem incomparabilem, huius quoque mentem ad excitandam academiam scientiarum compellere statuit, eo fine, vt sororio cum Berolinensi vinculo iuncta communibus nisibus laboreque inter se communicato literarum incrementa promoueret. Fulciebat spem Leibnizii, quod regem artium mathematicarum iucunditate et elegantia plurimum delectari nosset. Nec dubitandum est, quin successum consilium habuisset exoptatissimum, si in alia tempora incidisset. Ast belli strepitu tum valde molesto personabat Polo-

t) Conf. si placet, quae ea de re in Vita Danielis Ernesti Jablonskii, Decade II, Pinacothecae scriptorum nostra aetate illustrium diximus.

u) Vid. Vol. I, p. 68. 70. 74. 76. seqq. Vol. IV. p. 347.

x) Vid. Vol. I. Epp. p. 248.



Polonia, et ad magis necessaria et grauiora vocabatur regis animus. Ita vero factum, vt in ipso partu spes omnis suffocata euanesceret. Noster itaque ad praesentia conuersus, non modo irenica, quae tum in aula Berolinensi feruebant consilia maxima prudentia iuuare, et inepta, ac bello magis accendendo, quam paci restituendae idonea proscribere <sup>y</sup>, maxime autem historiam Brunsvicensis, cui augendae promouendaeque destinabatur, nouis laboribus illustrare aggressus est. Qua occupatione lenire se simul posse dolorem, quem ex obitu reginae Borussiae, Sophiae Charlottae, qui anno 1705 accidit, conceperat, sperabat. Sub praelum ergo misit *Collectionem historiarum*, quibus antiquitates Brunsvicenses et Atestinae, (quae vno ex fonte promanarunt) illustrarentur, quae tamen annis demum sequentibus 1707, 1708, 1709, tribus voluminibus prodit. De qua, cum nobis instituti nostri limitibus retractis dicere hoc loco, et quanta illustris viri merita ob eandem in historiae mediae aevi sint, ostendere non liceat, consulendi, post ipsum collectorem, eleganter proluxa eaque doctissima praefatione de pretio huic collectioni statuendo commentantem, Ephemeridum literarum eius anni <sup>z</sup>, itemque bibliothecarum historicarum scriptores, qui laude digna virum summum mactarunt. Interim more suo, dum editioni inuigilat, scientias mathematicas, philologiam, historiam, iusque publicum minoribus scriptis, diariis literatis passim insertis, illustrare perrexit <sup>a</sup>: quae cum argumentum nostrum non tangant, praetermittimus, facile autem ex indice scriptorum Leibnizianorum colligi, discique possunt. Maius momentum habet studium, quod haud leue hocce tempore vrgebat, *Theodiceae* opus, hortante Borussiae regina susceptum, at post eius funera ab eo ommissum, resumendi, emendandi, augendi, perficiendi, ad quod amici eum fuerant cohortati. Absoluisse autem anno 1707 foetum celeberrima postea fama per orbis literati circulos notum, ex epistola ad V. C. Mich. Gottlieb Hanschium <sup>b</sup> constat, qua breuem nascentis eius libri historiam est complexus. Alia quibus theologis Helmstadiensibus commodum vtilemque se eo tempore praestitit, cum hac non pertineant, omittimus. Tacere autem non licet ea, quibus in argumento philosophico versatus est vir illustris anno 1708 et sequente. Nempe cum CVDWORTHII *Systema intellectuale* a doctissima filia dono accepisset, legere illud more suo, cumque in argumento grauissimo versaretur, examinare constituit. Vidit autem (quod ad Cornelium Dietericum Kochium scripsit <sup>c</sup>) *eum pro parte fecisse, quod faciendum ipse censeat, vt non tam enarrentur omnia de rebus diuinis*

y) Consulendae epistolae Leibnizii ad Ioannem Fabricium, Vol. I.

z) Act. erud. 1707. p. 460. FONTENELLE in Elog. Leibniziano, Io. FABRIC. Hist. bibl. suae T. III, p. 21. seqq. qui scriptores in ista collectione comprehensos fuisse recenset.

a) Conf. LVDVICI P. I. §. 437. seqq. pag. 442. seqq.

b) Principia philof. ab HANSCHIO edita p. 144.

c) Annal. Acad. Iul. sem. III. p. 191.



nis dogmata hominum, cum errorum numerus sit infinitus, quam excerpantur utiliora ad illustrandam veritatem, quae unica est. At concoquere naturas plasticas <sup>d</sup> non potuit, quamvis materiae, praeter ἀντιτυπία infinitas esse ἐντελεχίας statueret; eo quod secundum Cudworthum naturae istae non agant mechanice in corporibus, cum tamen censeret ipse <sup>e</sup>, omnia in natura corporea fieri mechanice, etsi ipsa mechanismi principia ex sola materia non pendeant. Et de hoc quidem argumento, ad ingeniosissimam foeminam, quae miro in philosophia acumine gaudebat, in literis differuit, et assertorum suorum rationes explicuit. Deinde cum Leibnizium, sententiam de Pufendorffii philosophia morali, in libro *de Officio hominis et ciuis* comprehensa rogasset Gerardus Woltherus Molanus, abbas Loccumenfis, de ea quoque ita disputavit <sup>f</sup>, vt satis luculenter ostenderet, totum quod construxerat Pufendorffius iuris naturalis aedificium sibi displicere, principia defectibus non exiguis laborare, plerasque sententias in progressu non admodum principiis cohaerere, neque ex iis, tanquam caussis deduci, sed potius aliunde ex bonis auctoribus sumi, improbari sibi, quod finem scientiae iuris naturae ambitu huius vitae includat, ea, quae intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ex iure naturae excluderit, causam efficientem iuris naturae non in rerum natura, sed in superioris decreto quaesiverit, sibi met ipsi vero saepe numero obloquatur. Vnde iudicavit, libellum, etsi multa bonae frugis contineat, illis tantum usum praestare, qui leui aliqua tinctura contenti scientiam solidam non affectent. Qua censura, dici non potest, quam molestus Pufendorffianae philosophiae moralis cultoribus visus sit, qui famam Pufendorffii invidia instigante arrosisse Leibnizium censebant. Enatae inde *Observationes* celeberrimi IOANNIS BARBAYRACII in epistolam Leibnizianam <sup>g</sup>, quam tamen vindicandam postea sibi delegit BALTHASAR BRANCHY <sup>h</sup>, arbitri sibi partes sumente GERSCHOMO CARMICHAEL <sup>i</sup>. IO. CLERICVS <sup>k</sup> quoque, quae iniuste et praeter rem notata esse a Leibnizio iudicabat, publica scriptione confixit, eandemque semitam calcavit IMMANUEL WEBERVS <sup>l</sup>, vt alios taceamus, qui vocibus pugnare Leibnizium, et praecidia ex philosophia Scholastica hausta censuerunt. Quibus tamen respondit, et pro veritate censurae Leibnizianae disputavit Cl. ISRAEL THEOPHILVS CANZIVS <sup>m</sup>. Porro circa idem tempus ad certamen philosophicum Leibnizium prouocauit Francisci Lamy

d) Extat iam anno 1705, in *Historia operum eruditorum* M. Maio 1705, p. 222. Commentatio Leibnizii de naturis plasticis.

e) *Epp.* Vol. IV, p. 16.

f) Egidit eius epistolam primus Io. Christoph. Boehmerus 1709. tum Ephemerides nouae Bibliothecae Lips. T. I. p. 836. et КОРТНОЛТЪ Vol. II. *Epp.* p. 145. sqq. sed multis quoque editionibus libelli de O. H. et C. praefixa est.

g) Adiectae sunt Gallicae versionis eius libri a viro praestantissimo editae, Amst. 1718. 8.

h) In *Observationibus ad ius Romanum*, Leid. 1731. 8. editis.

i) Edit is Pufendorffii libellum et supplementis ac observationibus auxit Edimburg 1724. 12. Vid. A. E. 1727. Ian.

k) *Bibl. anc. et mod.* T. IX. P. II.

l) In *Monito apologetico ad epistolam Leibnizii censoriam* Giesae 1719.

m) In *Philos. Leibnizianae et Wolfianae vsu in theologia* P. I. c. II. §. 12. 13.



Lamy monachi Benedicti contentio; qui dubiis premere harmoniam praestabilitam coepit: iis enim more suo docte et fine bile respondit <sup>n</sup>.

XXI. Admodum foecundus fuit industria Leibniziana annus <sup>Fructus in-</sup> c1o 1o c c x, quo plurimum philosophiam editis nouis lucubrationibus am- <sup>dustriae Leib-</sup> plificauit, et omni quoque literaturae accessiones haud contemnendas ad- <sup>nizianae an-</sup> iecit. Et primo quidem loco euentum hoc anno habuit exoptatissi- <sup>c1o 1o c c x.</sup> mum cura Leibnizii obseruationes societatis scientiarum, Berolini <sup>et seqq.</sup> conditae, vno fasce collectas edendi. Quam cum iam triennium fouisset, circa auspicia anni dicti prodire *Miscellanea Berolinensia, ad incrementum scientiarum ex Scriptis Societati Regiae Scientiarum exhibitis edita, cum figuris aeneis et indice materiarum.* Quam obseruationum praestantissimarum farraginem, non extorsit modo precibus et cohortationibus suis viris doctis Leibnizius, totam digessit, praefatusque est et regi inscripsit, omnemque editionis curam vnus fere absoluit, sed et ipse ex abundantissimae eruditionis penu quam plurima contulit, immortalem ei gloriam conciliantia. Siue enim matheosos mysteria rimaretur, siue antiquitatis fontes aperiret, siue rerum physicarum, historicarum, philologicarum rationes panderet, in omnibus aequae magnum ostendit ingenium, dignus cuius vel hoc solo nomine apud posteros perennet memoria. Deinde quam absoluerat, *Theodiceam, siue dissertationem de bonitate Dei, libertate hominis et origine mali*, hoc anno typis Amstelodamensium prodire iussit, cuius celeberrimi libri historiam atque fata infra strictim enarrabimus. Id in praesentia monemus, et scribendi elegantiam, et argumenti varietatem multiplici doctrina refertam, et nouas atque inauditas hypotheses miro acumine defensas et aduersarios, quibus doctissima commentatio opposita est, in admirationem plerosque rapuisse, ita vt faterentur illi quoque, quibus multa paradoxa visa sunt, incomparabile esse decus ingenii Leibniziani. In hac autem tractatione, quamuis plurima noua sint, harmonia tamen praestabilita non inter animam modo et corpus, sed et inter naturae ac gratiae regnum, itemque elementa monadologiae prorsus singularia orbis philosophici oculos prae reliquis in se conuerterunt. Ceterum et Longium, *Bibliothecam sacram* augmentem hoc tempore adiuuit, et thesaurum codicum Mscr. Gudianum bibliothecae Guelpherbytae vindicauit. Tanto ardore cum in literarum disciplinarumque augmenta esset accensus, maximo eius gaudio accidit, vt anno sequente Petro I. Russorum imperatori innotesceret, quem Torgauiae conueniendi occasionem erat nactus. Vt enim maxima quaeuis complexus erat animo princeps magnus et praecipue emendandis ad meliores sensus subditis excelso spiritu intentus, ita non potuit non facilem se praebere Leibnizio, cuius ingens animi acies et summa de artibus atque scientiis merita ipsi commendata erant, auresque praebere patulas, cum nobilissima de augendis iuuandisque

Z z 2

n) Journal des Savans, Suppl. 1709. Mai.



que literis consilia vir optimus suppeditaret <sup>o</sup>. Quae gratissima fuisse monarchae, non modo muneribus, eius magnificentiam decentibus demonstravit, sed et paulo post memorabili euentu compertum est. Relatus enim in numerum consiliariorum iustitiae, quos vocant, intimorum, annuo mille thalerorum stipendio auctus est <sup>p</sup>. Sed et postea an. 1706, quod ipse ad Kortholtum scripsit <sup>q</sup>, ad acidulas Pymontanas profecto, Russorum imperatoris exporrecta frui gratia licuit: eidem quoque per biduum, quod deinde Herrenhusae prope Hannoueram egit, adhaesit, miratus in tanto principe non tantum humanitatem, sed et notitiam rerum et iudicium acre. Quod quanta reipublicae eruditae utilitate, quantis scientiarum incrementis factum sit, facies Russiae literatae, pristinae barbariei ingenioque Scythico prorsus dissimilis fatis probat, cum hodie tanti principis consiliis, quae fouit, auxit, formauit Leibnizius, id potissimum debeatur, ut nec vlla elegantiae literariae pars in vastissimo regno desideretur, nec laudatissimis institutis sequi vestigia ista cessauerint, quibus sceptrum Russicum post Petrum I. tradidit diuina prouidentia.

Conatus Leibnizii promovendorum scientiarum in aula Viennensi.

§. XXII. Quae in aula monarchae Russorum arrisit Leibnizio fortuna, apud Romanorum imperatorem non minus fuit fauentissima. Cum enim optimus princeps Antonius Vtricus, Brunsvicensium dux, Leibnizium Carolo VI. gloriosissimae memoriae de meliori commendauisset, locum eum in consessu consiliariorum imperii aulicorum capere iussit, et baronis axiomate clementissime auxit <sup>r</sup>. Cuius clementiae magnitudinem eum fatis intelligeret Leibnizius, dignum ea se reddere cupiens, anno 1706, Viennam aduolauit, et quid sibi de pacis Ultraiectinae ratione a Sinzendorffio delineata videretur, augustissimo imperatori scripto exposuit. Quae cogitationes adeo placuere et ipsi imperatori et summis rerum administris, ut stipendium bis mille florenorum Leibnizio decerneretur, una cum conuictu in aula, duplo auctius, testibus *Actis eruditorum* <sup>s</sup> obtenturo, ubi sedem fixam, quod facturus erat, si diutius superuixisset, Viennae constitueret. Sed et alios inde effectus habuit ipsi laetissimos atque exoptatissimos. Admissus enim in amicitiam Eugenii Sabaudiae principis, aditum parante Bonneualio comite, incomparabilem heroem, artis non minus patrocinio quam Martis fauore et experientia, atque felicitate bellica immortalem sibi fauentissimum expertus est <sup>t</sup>. Qui cum plurimum in aula valeret, omnium autem optime literis cuperet, easque promotum, quo posset modo, iret, facile intelligi potest, non Leibnizio tantum, sed et disciplinis exoptatissimam euenisse tanti herois beneuolentiam. Simili ratione aulae cancellario Sinzendorffio, de quo magna erat imperatoris opinio, valde commendata est Leibniziana eruditio <sup>v</sup>. Et his summis viris parariis ausus est Leibnizius, ultimam in

o) Epp. Vol. I. p. 304. 150. 414.

p) A. E. I. c. q) p. 365.

r) Factum id expirante anno 1711.

s) loc. cit.

t) Vid. Vol. III, Epp. p. 289. seqq.

v) Ibid. p. 293.



vita sua manum promouendarum literarum negotio admouere, excitata quaestione atque consultatione de erigenda auspiciis imperatoris societate scientiarum. Ad augustissimum ideo monarcham consilia sua detulit, qui cum animo non minus, quam imperio esset maximus, mature perspexit, plurimum ad gloriam sceptri sui, quin et vtilitatem patriae et regnorum suorum conferre posse, si hoc pacto scientiae iuuarentur. Vrsere institutum et ipse Eugenius, et comites Sinzendorfius atque Dieterichsteinius, aliique rerum Austriacarum et Bohemicarum administri, qui literis egregie fauebant; neminem enim facile omittebat vir illustris, quem laudatissimum institutum in aula Viennensi precibus, monitis, consiliis iuuare promouereque posse crederet. Et licet nonnulli, quos religionis zelus quidam, sane praeposterus, in scientias armauerat, intercederent, et clandestinis artibus sufflaminare successus exoptatos tentarent, ipsum tamen clementissimum monarcham res immortalitatem gloriae comparatura fauentissimum habuit. Et dubium non est, quin ad laetissimum tandem euentum negotium totum peruenisset, nisi et fata publica moram iniecerent; et fata vltima Leibnizii illud tandem imperfectum relinquere eum coegerent. Scripsit enim Leibnizius ad Ioannem Christianum Langium V. C. *magnum imperatorem praeclara agitare consilia, et scripto etiam decreto sibi rei curationem commissam esse. Sperareque, ubi nonnihil respirauerit aula ab incredibili sumtu, qui in bellum praesens poscatur, rationem initum iri nouae foundationis, quae viris egregiis viam apertura sit, ad praeclara destinata in rem conferenda.* Alio autem tempore, ad Schmidium, quo imprimis intercedente apud imperatoris amicos in aula utebatur, scripsit, *accepisse se a cancellario aulae imperatoris nomine decretum confirmatorium eius rei, sic vt negotium ex voto optime succedat, et speranda modo atque expectanda pax sit; rem enim tantum non confectam esse, et desiderare modo, vltimam manum imponendam.* Ex quibus, aliisque, facile cumulandis, si historiam literariam scriberemus, constat, fatorum iniquitatem obstitisse, quo minus res euentum sortita sit. Plurimum quoque ei obfuit absentia Leibnizii, quem et negotia ab aula Brunsvicensi commissa reuocauerunt, et pestis, quae anno 1709 Viennam depopulata est, relinquere aulam coegit. Ceterum in ista mora Viennensi non modo scientiis mathematicis et historiae promouendae consilia sua destinauisse Leibnizium ex epistolis eius patet; sed et philosophiam amplificare studuisse, eamque in rem Eugenii voluntate in literas et philosophiam optime affecta prudenter fuisse vsum, ex dedicatione *Principiorum philosophiae* a viro celeberrimo MICHAELE GOTTLIEB HANSCHIO ad Eugenium Franciscum principem de Sabaudia et Pedemontio etc. scripta, constat, in qua docet, *serenissimum principem auctorem ei extitisse, vt primam de illis conscribendis cogitationem susciperet.*

Z z 3

XXIII.

x) Ibid. p. 294. et in Collectione Epp. Gallicarum Leibnizii Kortholtiana p. 65.

y) Plurimum hanc rem illustrant Epistolae Leibnizianae Vol. III. ab ep. 38. ad 57.



*Rettersi Hant-  
noueram  
Leibnizii la-  
bores.*

§. XXIII. Et haec quidem Viennae a Leibnizio acta sunt: domum autem eum reuocauit admotus Britanniae throno post mortem Annae elector Hannoueranus, quem salutare, gratularique diadema regium constituerat. Qui cum ante aduentum in Angliam discessisset, seruitio tamen fidem demonstrare atque obsequium studuit. Cui heri sui rebus velificandi contentioni tributum tunc est schediafina, quod rege in Britanniae throno collocato titulo *Anti-Iacobitae* comparuit, quodque scriptis Anglorum nonnullorum, quae contra religionem Lutheranam ad conflandum regi apud populares suos odium prodierant, respondit, et discrimen ecclesiae Anglicanae atque Lutheranae in articulo de coena curatius demonstrauit. Ast negauit Leibnizius haud semel <sup>a</sup>, ipsum eius scriptio- nis auctorem esse. Certius est, nouis stimulis adactum Leibnizium condendae historiae Brunswicensis filium resumuisse <sup>a</sup>. Sunt qui tradant, indignationem aulae meruisse Leibnizium, quod negotium, in quod im- mense haecenus sumtus fuissent facti negligentius tractaret, et crebrioribus itineribus longaue in alienis locis mora rem interpellaret; idque adeo aegre tulisse Leibnizium, ut de relinquenda Germania, figendaque fortunarum suarum sede apud Gallos cogitare coeperit <sup>b</sup>. Quod utrum in- dubitato verum sit, dicere non habemus <sup>c</sup>: fatemur autem, non carere omni verisimilitudinis specie. Nam biennium fere Hannouera abfuerat, reduxque Tourneminio, Iesuitae Gallo, quo amico utebatur, confi- sium suum aperuerat, in Galliam concedendi: lectis quoque eius literis rex Ludouicus XIV, gratiam ei atque commoda obtulerat. Paulo post autem constitutus est a rege Angliae historiographus Brunswicensis Eccardus, ut tantum opus perficeret. Leibnizius vero, quem dolores arthritici, quibus subinde misere vexabatur, in Germania retinuerunt, sustenta- tus Eccardi industria gnauiter prosequi negotium perrexit, fauente rege, et diligentiam utriusque fouente. Itaque in studio historico iterum ver- satus noua ubique detegere, vetera firmare, et origines quoque gentium eruere tentauit. Cui labori elegans quoque schediafina *de Origine Fran- corum* debemus <sup>d</sup>, quo Francos primum uenisse a Baltico mari, fuisseque confluxum hominum ex Danis, Saxonibus, Anglis, Warnis aliisque populis vicinis probat. Quo in asserto, veterum testimoniis confirmato aduersarios expertus est Ioannem Tourneminium et Nicolaum Hieronymum Gundlingium, de qua tamen controuersia plura hic dicere non licet <sup>e</sup>. Non vero, argumentum tantummodo historicum controuersiae circa hoc tempus implicuit Leibnizium, sed et philosophicam contentio- nis ferram reciprocare cum Samuele Clarckio, Newtoni assecla et secta- tore coactus est. Cum enim Newtoniani quidam valde reprehenderent, quod

z) FONTENELLE et A&S. erud. l. c.

a) Vid. Nou. Lit. Lipsienf. 1715, Suppl. XI, p. 495. Epp. Vol. III. p. 302.

b) Vid. Anonymus ad elogium Leibnizii Fon- tenollianum.

c) Journal des Säuans 1722. Fevr. art. 9.

d) Exrat quoque in ECCARDI Legibus Fran- corum Salicis et Ripuariorum.

e) Conf. omnino Cl. LUDOUICI l. c. §. 505. 210. 211.



quod Deum intelligentiam supramundanam dixisset, harmoniam quoque praestabilitam improbarent, et haud pauca Leibnizianae metaphysicae arderent, ipse, ut ingenio metaphysico Newtonum longe superabat, gravissimas obiectiones contra attractionis et gravitationis principium, contra spatium, Dei sensorium, contra vacuum, aliaque philosophiae naturalis Newtonianae capita opposuit *f*. Ex quo enata elegans et erudita *Collectio epistolarum Leibnizii, Newtoni, Clarckii, aliorumque philosophiam, religionem naturalem et mathematicas artes illustrantium* *g*, quae consuli omnino ab illis debet, qui de pretio Newtonianae et Leibnizianae philosophiae (de qua nuper inter se decertarunt clarissimi viri *VOLTAIRIVS* *h* et *KAHLIVS* *i*) iudicare cupiunt. Cuius tamen argumentum atque summam enarrare hoc loco nobis, aliud agentibus non licet. Non absoluit tamen controversiam istam Leibnizius fatis praeuentus, quare ad ultimam Clarckii epistolam pro Leibnizio respondit *V. C. LVDOVICVS PHILIPPVS THVMIGIVS* *k*.

§. XXIV. Ita totus literarum amore et promouendarum disciplinarum desiderio flagrabat Leibnizius, cum decrefcere corporis vires, ex arthritidis doloribus et frequentibus insultibus valde exhaustas, ipse sentiret, aliquoties ab inimico malo deiectus, a quo tamen cruciatu eum medicina quaedam a nonnemine ex Societate Iesu suppeditata ad tempus liberauerat. Susceptis autem breuibns itineribus, cum de philosophia Sinenfi ad Remondum *l* scriberet, arthritidis vehementia, humeros infestans exitialis illi esse coepit. Et assumpsit ille quidem decoctum illud, quod a Iesuita Ingolstadtensi parare didicerat; ast exhaustae corporis ad senium vergentis et doloribus fracti vires eiicere potionem istam medicatam nequiuerit, quo pacto obrui corporis aedificium praegravarique malo necesse erat. Accedebant calculi dolores, affine malum, cui medendo quidem adhibebatur celeberrimus Seipius, cuius tamen medicamina effectu exoptato caruere, accedentibus conuulsionibus, quas instantis fati praenuntias esse, ipse probe vidit. Chartam itaque atque calamum dum poscit, et quae scripserat lumine admouet, caligantes oculos deprehendit, abiectisque scribendi adminiculis quieti se componit, sicque post octiduum morbum, nihil vaticinatus, nihil locutus, tegumento capitis oculis involutis

*f*) Adiecit has epistolas mutuas *CLARCKIVS* editioni secundae *Dissertationum de Existentiâ DEI*, Lond. 1717. 8. Vid. *Bibl. Angloise* T. I. P. II. art. 17. *Act. erud.* 1717. p. 439. *Nouvelles de la rep. des Lettres* 1717. Janv. art. 3.

*g*) Tomum I. illius collectionis constituunt, Germanice vertit *HENRICVS KOEHLERVS* Fr. et Lips. 1720.

*h*) In *Comparatione Metaphysicae Leibnizianae et Newtonianae*, Gallice edita, quam Germanica veste induit *G. C. MOSHEMIVS* magni parentis haud degener filius, Helmst. 1741. 8.

*i*) In *Comparatione Metaphysicae Leibnizianae atque Newtonianae* opposita *Voltairio*. Goett. 1741. 8. Germ. disputatum autem est de Deo, de vacuo et loco in Deo, de libertate Dei, de principio rationis sufficientis, de religione naturali, de anima eiusque unione cum corpore, de principiis materiae primis, de natura elementorum monadumque, et de vi aeterna.

*k*) Addita est eius Responso ad epistolam Clarckii quintam *KOEHLERIANAE* versioni.

*l*) Prodit postea in *Coll. epp. Kortholtiana* Vol. II. p. 413. seqq. de qua suo loco dicemus.



uolutis <sup>m</sup> XVIII Cal. Dec. anno clo lō cc xvi placide expirauit, annos natus septuaginta. De cuius morte varii, vt solet fieri, rumusculi oborti sunt <sup>n</sup>, quos tamen, cum fide dignis testimoniis careant, omittere, quam fabulis historiam commaculare philosophicam virique de literis immortaliter meriti famam onerare malumus. Quo etiam epitaphium Galli nonneminis pertinet, qui mortuo leoni insultare non erubuit. Aequius, viri docti memoriam defuncti, quem viuum principum fouit clementia, honorauit ciuitas erudita, laudibus cumulauit immensa eruditio, elogia decantarunt, inter quae eminet elegans elegia amplissimi Christiani Goldbachii <sup>o</sup>, quae postquam merita viri illustris per omnem Europae ambitum doctrina illustris eleganter descripsisset, ita finitur:

*Nil iam terra dabas, quo pergeret, inuolat astris  
Fallor? an hic etiam cognita cuncta videt.*

Elatus est funere satis splendido <sup>p</sup>, dignoque axiomate, quo eum virum extulerat principum fauor atque clementia, postquam a pueritia ad annum aetatis septuagesimum in scientiarum stadio ita cucurrisset, vt plerosque anteuertisset, totus studiis intentus et in augendas scientias omnem vim animi corporisque conuertens. Quae causa quoque fuit, cur coelibem vitam matrimonio praetulerit; de quo semel tantum in vita, aetate iam prouectior, sed frustra cogitauit.

*Character  
Leibnizii.*

§. XXV. Fuit Leibnizius corpore non quidem procero, sed ad iustam tamen viri magnitudinem assurgente, eoque habitu, qui macilentus magis, quam pinguis videri posset, quique animi vim mole sua non grauaret. Eius autem robur in fene fregerunt frequentes dolores arthritici et podagrici, quibus factum, vt aliquoties in vita aegrotauerit. Igneum autem temperamentum stomachi ardor subinde prodidit, vnde vinum aqua temperauit, calida <sup>q</sup> saepiuscule cum lacte vsus: parciore potu, cibo paulo pleniore alebatur, quod viro, plurimum temporis meditationi tribuenti, et diu sedenti non nocuisse mirum est <sup>r</sup>. Ita vero victus rationem habuit, vt philosophum decet, cui vna veritatis cura, nullum enim ipsi prandii, nullum coenae tempus erat, sed vacans a studiis, famem habebat prandendi indicium. Teste autem biographo <sup>s</sup>, cum in senectute doloribus arthriticis vexaretur, loco prandii pauculo lactis fruebatur, sed largius coenabat, statimque a coena cubitum ibat, quod antehac ante horam primam vel secundam matutinam vix contingebat. Nempe infatigabili desiderio cum in lectionem optimorum librorum, atque vtilissimarum veritatum meditationem ferretur, omnes vitae commoditates his occupationibus

m) Vid. Ecard, in Bibl. Brem. T. VIII. Fasc. 1.  
p. 51.  
n) Vid. FELLER, l. c.  
o) Nou. Lit. Lips. 1717. p. 69.  
p) Ibid. p. 125. seqq.

q) Potu Caffee, HANSCHE, l. c. p. 135.  
r) Nempe temperamentum ardens et naturalis stomachi firmitas inuise concoctionem etiam sedentis videtur.  
s) Act. erud. l. c.



tionibus posteriores habuit, adeo vt integros saepe menses a studiis et ex museo non discederet, quod vtrum sanitati eius fuerit inimicum, nec ne, medicorum filiis disceptandum relinquimus, negari autem non posse arbitramur, vitam sedentariam potissimum scorbuticam massae sanguinis dispositionem induxisse, ex qua tandem arthritidis malum, et calculi quoque incommoda enata sunt. Multum tamen praestabat ingens vis animi, et diuinum, quod nactus erat ingenium, cuius facultates ita ad optimam temperamenti rationem efformatas habuit, vt, quid natura in producendis viris magnis possit, in Leibnizio demonstrauiſſe, sine temeritate iudicare liceat. Et iudicii quidem acumen in discernendis veri falsique causis, modo, effectibus et similibus ita prodidit, vt mirum plane sit, virum tot disciplinarum inter se diuersissimarum studiis addictum inque argumenti generibus vastam lectionem et memoriam copiosam possidentibus, tanta certitudine iudicasse, et in veritatum systematumque recessus tam alte penetrauiſſe, errores detexisse innumeros, viamque a plerisque neglectam haud raro inuenisse. Quod ne *παρεγρημῶς* dixisse videamur, ad incredibile *ἐυσοχίαν* prouocamus, quam in difficillimis algebrae atque geometriae sublimioris problematibus prodidit, quae tanta fuit, quanta ab homine expectari potest, quaque meruit maximis veteris nostrae aevi viris aequiparari, immo praeferrari plurimis. Quod cum in concessis habere orbem eruditum sit notissimum, disputationis feruori adscribendum esse putamus, quod vir quidam doctus censuit, iudicio Leibnizium defecisse. Quamuis enim ad hypothesen nouas et ratione carentes prouocent, qui ita statuunt, si quid tamen iudicamus, egregie falluntur: quod si enim concesserimus, de quo disputandi locus hic non est, non probari posse hypothesen Leibnizianas accurate et sine prauiudicio iudicantibus, aliae tamen causae, quam iudicandi vis imminuta accusandae sunt; cum frequentia satis exempla sint virorum iudicio acutissimo instructorum in annalibus literariis, qui ad nouas tamen et inauditas paucisque probatas sententias delapsi sunt. Vt taceamus, pleraque ea quae iudicandi virtute non consulta vir illustris attulisse accusatur, ab eo *ὑποθεμῶς* asserta fuisse, quorum natura ea est, vt de ipsius hypotheseos veritate et falsitate haecenus dispici non soleat, modo ratio pateat de phaenomenis aliquid statuendi, quo duce tandem, abiecta hypothesi, ad veritatem perueniri posse sperandum sit. Quo pacto harmoniae praestabilitae hypothesin virum summum adhibuisse, quae iudicio carere multis visa est, infra dicemus. Fatemur autem, etsi acerrimo iudicio vsus sit Leibnizius, inue-

t) Negat id Cl. LVDOVICI l.c. §. 236 p. 263.

u) Ven. IOACH. LANGIUS in Recensione scriptorum Anti-Leibnizianorum et Anti-Wolfianorum p. 36. conf. tamen EIVSDEM, Modestam

Disquisitionem noui philosophiae systematis de Deo, mundo et homine p. 151. HEVMANN. Act. phil. Vol. II. p. 469. REIMMANN, Hist. lit. Germ. P. III. p. 642. MORHOF, Polyhist. T. II. p. 297.



inueniendi tamen fingendique vim animi praecelluisse, quam vere diuinam et incredibilem fuisse concedent, qui tot *εργήματα* ab illustri viro producta in lucem, tot problemata geometrica summis quoque viris imperuia, quae construxit, et soluta postea explicuit, tot coniecturas historicas mire rerum circumstantiis respondentes, perfectas ab ingenio Leibniziano expenderit. Cuius facultatis tanta illi adfuit felicitas, vt, quod ipse de se obseruauit \* omnia difficilia sibi facillima haberet, in facilibus nonnullis difficultatibus impediretur, cum ad summa et excelsa tantum animum intenderet. Nec vel illustrius eius rei specimen vel gloriosius Leibniziano nomini est, calculo differentiali, quo solo aeternitatem famae vir incomparabilis meruit. Solet autem ita plerumque euenire, vt qui has intellectus facultates habent excellentes, memoria valde leui sustententur, contra qui reminiscendi copiose et fideliter virtutem possident, iudicii paupertate premantur. Ast contrarium in Leibnizio euenisse omnino mirandum est: qui cum tantum legisset, quantum alii in tota vita vix oculis capiunt, non modo fideliter retenta suo tempore locoque resumere semper in potestate habuit, sed et rerum copia minime impeditus suis quaeque locis adhibere, ministrante memoriae fidelitate, potuit. His accessit infatigabilis veritatum incognitarum emendandarum cupiditas, et famae scientiarum inexplebilis, qua concitatus fere puer Leibnizius illis aetatis annis ad disciplinarum culmina properauit, quibus aegre gressibus tubantibus stadium literarium ingrediuntur alii. Quod nos affectui non dare aut admirationi ineptae, ea quae de praecoci eius eruditione et vulgatis in ipsa adolescentia specimenibus supra copiose narrauimus, euincunt. Et hunc quidem scientiarum amorem non nisi cum vita deposuit, cui quas curas, quos labores, quamque disciplinarum apud principes quoque promouendarum industriam orbis eruditus debuerit, ex narratione vitae eius abunde constat. Ita vero factum, cum tot diuini ingenii dotes, suo iure maximae conspirarent, vt doctrina enasceretur in viro summo non modo amplissima et per omnem fere disciplinarum campum se diffundens, sed et ingens atque ad abditissima naturae arcana se extendens. Quae cum in vita satis longa iugi exercitatione firmaretur, nec cessaret vir optimus eam augere, ornare, amplificare, experientia illi exorta haud leuis, qua ex arena haud raro illa manibus quasi palpabat, quae longa meditatione assequantur alii. Accessere his intellectus dotibus animi virtutes haud paucae, quas valde praedicant, qui cum eo familiariter vixerunt, vel qui commercio literario inito eius consuetudine sunt gauisi †. In quibus humanitatem et beneuolentiam viri illustris, bene omnibus cupientis, et scientiarum iuuandarum conatus, quibus posset modis, promouentis, huncque in finem consilia optima sine inuidia suppeditantis prae reliquis suspiciendam esse putamus. Testem volumus innumeram epistolarum farraginem, ad viros doctos cuiuscunque generis et ordinis scriptarum, quarum partem

lauda-

\* Leibniziana p. 166

† Conf. BVDDEVS Hist. phil. c. 6. p. 492.



laudabili industriae Ven. KORTHOLTI<sup>2</sup> debemus. In iis enim mira dulcedo atque lepor regnat, lectoris animum mire alliciens atque capiens, iucunditasque tanta, vt legendi fastidium obrepere vix possit. Quod non modo doctrinae varietati, qua velut floribus per hortum sparsis abundant, sed et humanitati et benevolentiae, quibus eas quasi melle condidit Leibnizius, adscribendum est. Huic merito iungimus aequitatem virorum doctorum meritis praestitam. Quamuis enim, vt erat animo magno et a feruili admiratione vacuo, candide et aperte de summis quoque viris iudicaret, eorumque naeuos modeste reprehenderet, laudandam tamen et voluntatem esse censuit, et iustum statuendum esse pretium iis, quae recte fecissent, statuit. Tantum autem ab inuidia aberat, vt gloriam, quae ipsi debebatur, haud raro inter viros doctos diuideret, et ad gloriam capeffendam non hortator modo sed et viae dux atque pararius adesset. Nempe tantae erant, quas in proprio fundo possederat, ingenii doctrinaeque diuitiae, vt ex aliorum gloria surrepta sibi laureolam quaerere, quod non nisi ingenii vulgaribus licet, erubuerit. Mirum autem est, quantum a philosophiae exercitatione acceperit praesidium Leibnizius, in continendo intra modestiae limites animo. Quam virtutem prorsus egregiam, tum maxime ostendit, vbi cum antagonista erat certandum. Quoscumque enim sibi aduersantes expertus est, aut quos refutare est aggressus<sup>a</sup>, ita compellauit, vt laudare voluisse censeretur? ita refutauit, vt habere amicos et plurimum eos facere omnes crederent. Et profecto inter summas viri incomparabilis laudes referendum esse existimamus, quod de eo testatur biographus rerum Leibnizianarum callentissimus<sup>b</sup>, quodque qui intima amicitia illi innotuerat IOANNES FABRICIVS<sup>c</sup> confirmat: de nemine vnquam male locutum, quin omnia in meliorem partem interpretatum esse. Quod qui fauori et amicitiae datum esse putauerit, eum ad epistolas summi viri, quarum pleraeque familiares fuerunt, et in quibus maior sentiendi iudicandique vsurpari solet licentia, merito amandamus. Nihil autem iactantius ipse aut vindicauit sibi, quod suum non esset, aut inanem gloriam, licet verae laudis esset valde cupidus, affectauit vnquam, cum vires suas sufficere ad eum tuendum locum nosset, qui praestantissimae eius doctrinae debebatur. Ex quibus omnibus, vniam in rationem conductis, recte, nisi toti fallimur, colligimus, inter maxima orbis literati ingenia, quae omnis aetas tulit, esse numerandum Leibnizium, et paucos habuisse pares superiorem inter viros doctos fere neminem.

§. XXVI. Nihil in hac animi doctrinaeque Leibnizianae imagine depingenda dedisse nos aut partis studio aut gentis nostrae amori, con-  
Aaa 2

*Iudicia viro-  
rum docto-  
rum de Leib-  
nizio.*

2) Prodiere quatuor voluminibus Lipsiae ex elegantissima typographia Breitkopfiana 1734-1742. commendarique ad noscendum Leibnizium merentur praefationes venerandi editoris doctissimae.

a) Cum nemine animo magis vulnerato est congressus, quam cum Keilio et nonnullis aliis Newto-

ni sectatoribus; verum et haec quoque modestiam non neglexit, luculenter testatus, displicere sibi bella, quae victoriam spondent, sed ingloriam. Vid. Recueil. T. II. p. 5. seqq.

b) Act. erud. l. c.

c) Hist. bibl. suae T. II. p. 317.



stans ciuitatis eruditae in ferenda de Leibnizio sententia concordia probat. Facilis autem labor esset, si id ageremus, satis magnum elogiorum Leibnizianorum aceruum congerere, quae de insigni philosopho pronuntiauit respublica literaria. Verum quo minus his inhaereamus, dicendorum copia obstat. Ne vero sine calculo doctorum virorum de praestantia ingenii ingentibusque doctrinae meritis tanti viri sententiam dixisse censemur, trigam virorum inter eruditos celeberrimorum in partes vocamus; P. BAYLIUM, PAULUM PELLISSONIUM, et auctorem *Memoriarum literariarum Triuultinarum*. Et Baylius quidem cum epistolarum inter Pellissonium et Leibnizium controuersias religionis agitantium mentionem fecisset, subiicit: *illi ipsi, qui mille speciminibus edocti ingenii Leibniziani vastitatem intelligunt, non possunt satis mirari, quanta puritate Gallici sermonis has obiectiones exarauerit. Certe ex illorum virorum numero esse censendus est, qui meritorum, quae hominibus obtingunt, limites ignorant, sed omnem eorum orbem implent.* Pellissonius autem non minus eleganter ad Pirotum: *Fidem testor, totum me cepisse Leibnizium nostrum, cuius annotationes priores mihi pulcherrimae visae sunt, indeque postea coniecisse inesse ei ingenium elegantissimum, iudicium acre, ratiocinandi peritiam accurate in recessus rerum penetrantem, quamuis solida ea esse, quae scripsit, non videantur. Testatur autem transmissa epistola magnam iudicii vim, doctrinam solidam, sensumque rerum omnium exquisitum. Gaudeo quoque ex meditationibus physicis tantum religionis relucere, ex quo et intentio animi optima, et scopus iustus atque purus pectusque integrum elucent: recta quoque videntur, quae de extensionis idea disserit, quibus omnino pollicem premo etc.* Paulo plenius de Leibnizio iudicat auctor *Memoriarum Triuultinarum*<sup>f</sup>, qui cum recensum epistolarum Leibnizianarum a Kortholto editarum dedisset, pulchreque obseruasset, ex epistolis familiaribus virorum doctorum imaginem atque characterem omnium certissime disci posse, addit: *Totum se in his epistolis denudasse Leibnizium: conspici in iis theologum, iuris peritum, philosophum, historicum, mathematicum, et cum omnia comprehenderet, in omnibus totum. Patere in iis non eius modo systemata, et animi sensa, sed et characterem: ubique enim prodeire virum bonum, honestum, humanum atque beneuolum, pacis amantem, contradictionis et liticularum humanitate carentium atque iudiciorum temerariorum inimicum, quem cum in supremo loco infinita doctrinae vis et amplitudo collocasset, attingere vulgi inuidia non potuerit. Apparere luculentis speciminibus, quanta facilitate animi, gloriam suam aliorum honori inferuire iusserit, licet illi minima pars eorum esset, de quibus gloriarentur: quanto desiderio vires omnes in id contulerit, ut scientiarum incrementa, promoueret; neglecta earum promotarum fama atque laude; quam impiger fuerit in iuuandis meditationibus et luminibus suis, illis qui*

a) Dict. T. III. art. Pellisson not. C. p. 642.

e) I. c. p. m. 344.

f) 1737. Nou. art. 2.



qui magnum quid conarentur; quantumque precum, cohortationis, consiliorumque ad eam rem contulerit, idque effecerit, ut prima fere consiliorum omnium causa mouens esset, quibus aucta sit eo tempore respublica literaria, in qua ob singulare studium et ingenii capacitatem principatum aliquem obtinuerit. Adduntur plura, de scriptis, meritisque summi viri magnificis elogiis differentia, quae breuitatis causa omittimus. Haec enim non a Germanis sed a Gallis profecta, qui in contemnendis alias Germanorum ingeniis faciles sunt, opponere licet iis, quae Lockius, Molyneus *f*, Keilius, et nonnulli alii censurae impatientes de tanto viro finitrius iudicauerunt.

§. XXVII. Recte iudicauisse viros doctissimos, quorum de Leibnizio effata adduximus, facta inductione exemplorum demonstrari, probaque potest, polyhistoris laudem eum, si quis vnquam iure suo meruisse. Nam non vna sibi deuotum habuit scientia, sed per omnes disciplinarum circulos late vagatus, nulla est, quam non attigerit, perspexerit, amplificauerit. Mirumque omnino est, quod cum in geometriae sublimioris studio omnem fere, quae ante ipsum fuit, aetatem superauerit, in aliis tamen eruditionis generibus, ab hac disciplina theoretica longissime distantibus, qualia sunt iurisprudentia, historia, antiquitatum cognitio, studium etymologicum et similia, vbique Roscium sese praestiterit, in iis quoque disciplinis commendatissimus, quae ab ingenio laudem accipiunt. Cuius exempla esse possunt carmina Latina, propitia vena a viro summo conscripta, in quibus siue inuentionis elegantiam, siue numerorum apte fluentium concinnitatem, siue totius carminis effigiem ad veterum exempla feliciter effictam consideres, facile concesseris inter melioris generis poetas Latinos suo tempore Leibnizium fuisse connumerandum. Maxime autem acumen et rerum pondus in illis miratur Fontenellius *h*, ideoque cum Lucano Leibnizium comparat: quem tamen castigata cogitandi fingendique ratione superauisse, omnino fatendum est. Cuius vt specimen lector habeat, aliquod in fine paginae subiungimus *i*. Non impari felicitate verficulos Gallicos scribere tentauit, cuius linguae elegantiam ita tenebat, vt non modo in Gallia natus videri posset, sed et Gallorum eloquentissimos paribus vestigiis fuisse secutus iudicaretur. Praeclarissime autem in omni historiae genere, maxime, quae ad medium aeuum pertinet, erat versatus. Cuius studii fundamenta cum a doctissimis praeceptoribus, maxime Ioanne Andrea Bosio hausisset, mature industriam illi dica-

*Mevita Leibnizii de disciplina.*

Aaa 3

uit

*f*) Gonf. DES MAIZEAUX Praef. collectionis Gallicae dissertationum Leibnizii, Clarendon, Newtoni.

*g*) Recenset carmina Leibniziana LYDVICVS I. c. P. II. p. 71.

*h*) loc. cit.

*i*) In Neptunum, pacis statorem, quum mare Mardicenis aquaeductus exitum sabulo oppleuisset.

Anglia Neptuno conqueſta eſt, Gallica paſſa  
Irrita ludibriis eſſe pudenda ſuis.

Quid Dankeca vacet, ſi proxima Mardica ſurgat

Longaque ſit ſtatio, quae modo lata fuit.

Cui Deus; hoc poterat cauſſe o ſilia, ſulti

Plus ſemel illuſus ſordere, dignus erat

Ipe tamen tuor. Quatit et mox ipſe tridentem,

Et ſubito eſt cumulus, quae modo ſuſſa fuit.

Vid. Vol. I. Epp. p. 268, 319.



uit suam, eo quod intelligeret, iurisprudentiam publicam, cui se in iuuentute praecipue addixerat, principumque controuersias non nisi hoc lumine collustrari posse. Iuuenem autem in hac eruditionis parte Leibnizium excelluisse, et historiam quoque illuc traduxisse, ut vsum in causis illustribus haberet, ex scriptis Vlicouii et Furstenerii nomine editis disci potest. Maxime vero immensa rerum mediae aetatis cognitio illi subnata est, ex quo tradita sparta describendae historiae Brunsvicensis, iter fecerat per Germaniam et Italiam, reduxque vndeque affuebant, quibus consilium istud iuuari posset. Qua de re cum supra nonnulla dixerimus, ea otiose non repetemus. Ast iunxerat vastissimae notitiae rerum veterum insolitam coniciendi felicitatem, qua in causas abditas et latentes penetrabat, et eruebat nonnunquam illa, quae ignota prius erant omnibus. Neque solis Brunsvicensis domus limitibus se circumscribi passus, ad omnium fere regionum historiam respexit, vetustas origines eruit, pacta, foedera, statuta, quaeque alia publica diplomatum fide constant, consuluit, indeque elegantissimum *Codicem iuris gentium diplomaticum* extruxit. Nec alius fuit in iurisprudentia, cuius naeuos quam acute perspexerit, quantaque industria medicinam illis afferre tentauerit, ex supra narratis liquere potest. De quibus tamen eius meritis haec prolixius agere, institutum vetat, meretur autem vir summus ex laboribus literariis cognosci, ut constat, quanta πολυεργίας laude merito floruerit. Praeclare vero in philosophiae historia versatus, omnem veterum doctrinam eleganter animo complexus est, tantaque iudicandi acie excussit, ut non possint non ea iucundissima esse, quae vbiq; fere tum in scriptis tum in epistolis disseminauit. Id quod eo magis mirandum, quo magis, eo quidem, quo Leibnizius vivebat, tempore, historia philosophica vix ex puluere ac squalore inter Germanos protracta caput efferre et lumina disciplinis philosophicis praeferre coeperat. Solebat autem vir illustris non ipsa tantum veterum dogmata perquirere, sed momenta quoque systematum expendere, deque eorum veritate aut falsitate iudicium interponere. In quo licet, fato humano, non semper ad scopum collineauerit, fatendum tamen, virum acutissimum multa vidisse, quae ignorabantur aliis, et penetralia veteris philosophiae perreptauisse. Ad quam ineundam viam dux illi fuit incomparabilis Iacobus Thomaeus, cui reuera restitutam historiam philosophicam maxime illam, quae de genuinis veterum opinionibus decernit, in Germania nostra debemus. Cuius ductum secutus admodum iuuenis veteres et recentiores inter se comparauit, eorum dogmata excussit, rationes latentes in apricum produxit, talemque se praestitit, ut, nisi, nescio quo fato, praeposito Syncretismi inter veteres et recentiores ineundi studio fuisset praepoccupatus, ab eo adhuc iuvene ingentia incrementa sperare potuisset historia philosophica.

Ex

k) Dicitur de hoc studio syncretistico Leibnizii supra. Illud autem aetate prouectior abiecit, non scilicet, quod ipsa cudere coeperat systemati metaphysico et physico intentus.



Ex hinc caussa quoque deriuanda est, cur veteribus per totam vitam fuerit propensissimus, quos facilius contemni atque reprehendi, quam intelligi a plerisque recte statuebat. Maxime vero fauebat vir summus Platoni, in cuius philosophia ipsi plurima probabantur. Vnde ad Bierlingium scripsit <sup>1</sup>: *de Platone non sentire se tam contemptum, meditationes eius autem sibi et profundas passim et utiles videri. Et habere se Ciceronem non malam iudicem se habere, quam vulgo appareat.* Paulo prolixius autem de Platone eiusque philosophia differuit, et quid ipsi in ea probetur exposuit in epistola ad Cel. HANSCHEM <sup>m</sup>, eius schediasmati *de Enthusiasmo Platónico* praefixa, quae ideo memorari expendique merentur, quia ad origines hypotheticum Leibnizianarum intelligendas plurimum facere possunt. Scribit autem polyhistor praestantissimus: „Nulla veterum philosophia magis ad Christianam accedit, quam Platonica, etsi merito reprehendantur, si qui ubique putent Platonem conciliabilem Christo. Sed ignoscendum est veteribus, initia rerum creationemue”, et corporum nostrorum resurrectionem negantibus. Haec enim sola reuelatione sciri possunt. Interim pulcherrima sunt multa Platonis dogmata, quae tu quoque attingis: vnam omnium causam esse: esse in diuina mente mundum intelligibilem, quem ego quoque vocare soleo regionem idearum. Obiectum sapientiae esse τὰ ὄντως ὄντα substantias nempe simplices, quae a me monades appellantur, et semel existentes semper perstant πρώτα δευτικὰ τῆς ζωῆς, id est Deum et animas, et harum potissimas, mentes, producta a Deo simulacra diuinitatis. Mathematicae autem scientiae, quae agunt de aeternis veritatibus in diuina mente radicatis praeparant nos ad substantiarum cognitionem. Sensibilia autem, et in vniuersum composita, seu, ut ita dicam, substantiata, fluxa sunt, et magis fiunt, quam existunt. Porro quaeuis mens, ut recte Plotinus, quendam in se mundum intelligibilem continet, immo mea sententia et hunc ipsum sensibilem sibi repraesentat. Sed infinito discrimine abest noster intellectus a diuino, quod Deus simul omnia adaequate videt, in nobis paucissima distincte noscuntur, cetera confusa velut in chao perceptionum nostrarum latent. Sunt tamen in nobis semina eorum, quae discimus, ideae nempe, et quae inde nascuntur, aeternae veritates: nec mirum, quum ens, vnum, substantiam, actionem, et similia inueniamus in nobis, et nostri conscii sumus, ideas eorum nobis inesse. Longe ergo praeferendae sunt Platonis notitiae innatae, quas reminiscentiae nomine velauit, tabulae rasae Aristotelis et Lockii aliorumque recentiorum, qui ἐξωτερικὰς philosophantur. Itaque Platonem Aristoteli et Democrito vtiliter coniungendum censeo ad recte philosophandum. Sed nonnullas κενὰς δόξας in  
 „ eorum

1) Vol. IV. Epp. p. 37.

m) Exrat etiam Vol. III. Epp. p. 64. seqq.

n) Id de creatione et nihilo intelligendum est.

Factum enim in tempore mundum a causa summa et optima ex praeiaciente materia Plato statuit.



„ eorum vnoquoque expungi oportet. Non male Platonicis quatuor in  
 „ mente cognitiones agnoscuntur, sensus, opinio, scientia, intellectus,  
 „ nempe experimenta, coniecturae, demonstratio et pura intellectio, quae  
 „ veritatis nexum vno mentis ictu perspicit: quod Deo in omnibus com-  
 „ petit, nobis tantum in simplicibus datum est. - - Animam in hoc  
 „ corpore velut carcere esse, sano sensu intelligi potest. Sed abiicienda  
 „ est philosophorum veterum opinio, quod corpus poenalis sit carcer in-  
 „ telligentiae olim peccantis. - Illud recte veteres, animam in corpore  
 „ tanquam in statione esse, vnde iniussu summi imperatoris decedere fas  
 „ non sit. Nec illud inelegans, prouidentia nos regi, qua rationem se-  
 „ quimur fato, et instar machinae, dum affectibus ferimur. Id enim ex  
 „ harmonia praestabilita hodie nobis perspectum est, Deum omnia tam  
 „ mirifice instituisse, vt corporeae machinae mentibus seruiant, et quod  
 „ in mente est prouidentia, in corpore sit fatum. Etiam de virtutibus  
 „ praeclare Platonici et Stoici veteres etc.“ Describendus erat locus inte-  
 „ ger, licet longiusculus, vt dictorum ratio constaret. Etiam si enim non  
 „ negemus, explicationes Platoniorum dogmatum nonnullorum a magno  
 „ viro allatas illis probari non posse, qui sine praepudicio Platonem legerunt:  
 „ qualia sunt quae de obiecto sapientiae, deque harmonia inter fatum et prou-  
 „ dentiam dixit, in quibus in deum virum eruditissimum deduxit studium hy-  
 „ potheses suas apud veteres inueniendi: fatendum tamen, insolitam Platonismi  
 „ notitiam in his demonstrauisse Leibnizium, fatisque prodidisse, quam  
 „ pulchre Academiae parenti faueret. Sed et aliis Graeciae veteris sapien-  
 „ tibus mire se praestitit beneuolum, illis indignatus, qui de maioribus abi-  
 „ eecte sentiunt. Id nos animaduersiones ad Bierlingium scriptae <sup>o</sup>, docent,  
 „ in quibus inter alia: „ Etiam Senecae et Stoicis plurimum faueo; idem fe-  
 „ cit Cartesius etiam in morali philosophia et in vniuersum sentio, rectius  
 „ et vtilius dispici, quid in veteribus probandum, et in vsus nostros trans-  
 „ ferendum sit, quam quid reprehendum. Nemo vnquam clarus fuit,  
 „ in quo non multa laudem mererentur. Video hodie iuuenes hoc morbo  
 „ laborare passim, vt de maioribus contentim loquantur: credo ignoran-  
 „ tia, vel potius negligentiae excusandae causa, vt iure illorum prae-  
 „ ceptis carere videantur. Itaque consultum puto, vt prudentia docenti-  
 „ um a tam prauo more abducantur. Verissima est Stoicorum doctrina,  
 „ affectus esse perturbationes, et dandam operam, qua licet, vt sine per-  
 „ turbatione iudicemus. Sed fatendum est, perturbationes non semper  
 „ vitari posse, et tunc nostram esse debere curam secundariam, vt eas mo-  
 „ deremur, tanquam in potestate. Ideam sapientis perfecti, vt optimae  
 „ reipublicae proponi vtile est, etsi nusquam detur in terris. Etiam  
 „ Academicorum et Scepticorum placita multa cum vtilitate expendantur  
 „ ab eo, qui vera philosophiae principia constituere volet. Multa enim  
 „ verissime

o) Transmiserat Leibnizio Bierlingius Lineamenta methodi studiorum, ad quae animaduersiones optimae frugis plenas ille suggestit; extant Vol. IV. Epp. p. 32. seqq.

o) Transmiserat Leibnizio Bierlingius Lineamenta methodi studiorum, ad quae animaduersiones optimae frugis plenas ille suggestit; extant Vol. IV. Epp. p. 32. seqq.



„verissime de sensibilibus infubstantia, quae phaenomenis magis sed legitimis, quam rebus, accenferi merentur. Non omnis cognitionis fundamentum sunt sensus: veritates necessariae a sensibus non docentur etc. Non vero Graecanicae modo philosophiae se fauentem praebuit Leibnizius, sed exoticae quoque, maxime Sinicae, quam mire ab eo tempore deperire coeperat, ex quo cum Iesuitis religionis Christianae inter Sinas ferendae causa a pontifice Romano missis commercium epistolicum instituerat, legeratque libros Sinicos a Remondo communicatos. Fatetur enim in epistola ad hunc virum clarissimum <sup>r</sup>: sensum aequiorem atque saniorum omnino tribuendum esse veterum Sinarum praeceptionibus; indeque doctrinas eorum de supremo principio, de eius unitate, de materia vniuersali, de substantiis spiritualibus et similibus ita explicari posse, vt falsae et suspectae significationes omittantur. Vnde facilis quoque est in excusando cultu maiorum Sinico. Sed et Scholasticos contemnendos haud esse, planeque reiiciendos statuit, quamuis naeuos eorum satis intelligeret. Quare iam factus est cum Nizolii librum ederet <sup>r</sup>: *iniquos esse, qui temporum infelicitum lapsus tam acerbe perstringunt, qui si illic fuerint, aliter sentirent.* Cuius rationes cum ab iniquitate temporum et miserabili fato, quod scriptores optimos et alia studiorum auxilia hominibus inuidit, deriuauisset, addit: *Non vereri se dicere, Scholasticos vetustiores nonnullis hodiernis et acumine, et soliditate, et modestia ab inutilibus quaestionibus circumspiciore abstinentia longe praestare: esse quoque se etam nominalem hodiernae reformatae philosophandi rationi congruentissimam* <sup>r</sup>. Alibique Scholasticos agnoscit abundare ineptiis, sed aurum esse in illo coeno, hocque bene sciuisse Grotium. His opinionibus decretisque cum subscriberet Leibnizius, mirum non est, haud pauca veteris philosophiae, et Scholasticae quoque in eius systema, quod formare coeperat, confluxisse, et praetulisse eum veteres recentioribus, quorum *наукоподобны* non aequo satis animo ferebat. Fatendum tamen, viris in philosophia summis, quos recentior aetas tulit, honorem, quem mereri credebat, detulisse, cuius specimen esse potest iudicium eius de Hobbefio <sup>s</sup>, quem paucos censebat intelligere, eumque non tam esse pro absoluta potestate, quam putatur, licet insufficientia principia sint. In ipsa philosophia autem omnibusque eius partibus nouum systema meditando animi vim prorsus singularem demonstrauit, licet nullam earum perfecerit, ad alia mox traductus. Et logicam quidem artem noua luce perfundere in meditationibus de cognitione, veritate et ideis conatus est, cuius summam exhibet Ven. WALCHIVS <sup>t</sup>. In quo breui schediafmate multa ad naturam idearum

p) Hoc vltimum Leibnizii scriptum fuit, quod moriente fere manu consignauit. Eius diuulgationem debemus Ven. КОРТХОЛТО Vol. II. Epp. p. 413. seqq. deperdito iam autographo Leibniziano. vid. diss. proem. §. 7. p. 21.

*Hist. philos. Tom. V.*

q) In dissert. praefixa.  
r) Epp. Vol. IV. p. 8.  
s) Epp. Vol. IV. p. 8.  
t) In Hist. Logicae L. II. c. 1. S. 3. §. 20. Parerg. acad. p. 664.



idearum intellectus humani pertinentia cumulauit. Quae displicere quidem viris nonnullis doctis, D. FR. HOHEISELIO<sup>a</sup>, et I. FR. MULLERO<sup>x</sup>, maxime vero Lockio, qui se, lecta illa tractatione iudicasse ait<sup>y</sup>, etiam optimis naturae muneribus instructos, in fundamenta rei ipsa penetrare, non sine diuturna meditatione posse, et vastissima quoque ingenia non nisi ad valde limitatam cognitionem peruenire<sup>z</sup>: ast in aliam longe sententiam discesserunt alii, inter quos illustris WOLFIVS<sup>a</sup>, his potissimum assertis in exstruendo logicae aedificio usus est, viri clarissimi autem Frid. Philippus Schlofferus, et Ioannes Vlricus Cramerus defendere Leibnizium sategerunt. Quam profunde autem ad naturae arcana respexerit, eaque explicuerit in *Theoria motus abstracti et concreti*, quas supra enarrauimus, abunde demonstrauit, quas tamen hypotheses missas fecit, postquam noua principia dynamica, nouamque substantiae corporisque notionem sibi effinxerat<sup>b</sup>. Totum porro sibi vindicauit Leibnizium metaphysica. Maximo enim ingenio usus, cum geometriae beneficio notionibus uti generalissimis, abstractis, vniuersalibus didicisset, et summo acumine ex axiomatibus paucis, et vniuersalem veritatis complexum spondentibus geometrica ratiocinandi peritia conclusiones deduceret infinitas, mirum non est, totum quasi systematicum factum esse. Nec errasse censendi sunt, qui ingenium eius mere systematicum fuisse<sup>c</sup>, et in eo genere omnes ante se superauisse, iudicauerunt. Non contentus enim rerum sensibus et attentioni obuersantium experientia et historia intellectus humani, ad vniuersales notiones et principia prima asurgebat, et, ut mira foecunditate ingenii pollebat, longam ex illis consequentiarum atque conclusionum catenam efformabat. Vnde nouae enatae hypotheses, fatis quidem paradoxae et a communi philosophantium sententia, quin a sensu quoque plerorumque remotae, ideoque tot contradictionibus oneratae, ast ita principii suis connexae, et implicitae, ut arctissime inter se cohaerent; quo factum, ut concinnum prorsus et mire cohaerens aedificium exurgeret, qua in re ingenium Leibnizianum prorsus excelluisse recte viri docti obseruauerunt. Argumentum morale autem nusquam ex instituto tetigit, pauca quaedam *ais én παράδοξον*<sup>d</sup> attulit, quae infra referemus. In tractatione

<sup>a</sup>) In Sched. de Ideis.

<sup>x</sup>) In Dubiis cel. Wolfio de Facultatibus intellectus obiectis.

<sup>y</sup>) In Epist. ad Molyneum, quae extat inter Epp. posthumas LOCKII. conf. DES MAIZEAUX Praef. ad Collect. schediasm. phil. p. 69.

<sup>z</sup>) Lecto hoc iudicio ita iudicabat Leibnizius: „Ego id non miror, nimis distans dissentimus, que in principiis, vnde quod ego affirmari paradoxum visum est Lockio, Habebat ille subtilitatem ingenii, atque aptitudinem, speciem quandam metaphysicae exotericae et superficialis extollendi, pingendique, sed expertus erat

„methodi mathematicae.“ Recueil T. II, p. 140. 141.

<sup>a</sup>) Vid. Praef. Logicae Germanicae.

<sup>b</sup>) Factum id 1694. vulgata diss. de Primae philosophiae emendatione et notione substantiae. Cupiebat autem Leibnizius, mechanicam, geometriam et metaphysicam iungi ad exstruendum iustum naturalis doctrinae aedificium. Hinc pleraque schediasmata mathematica, quae vel geometrica vel mechanica sunt, huc referri debent.

<sup>c</sup>) DES MAIZEAUX, I. c. p. 80.

<sup>d</sup>) In Praef. ad Cod. iuris gentium diplomaticum.



tione politica vero eo acutius vidit, quo maiori ad id historiae apparatus erat instructus, quoque feliciter ad regulas generales cuncta transferebat. Nulla autem in scientia vel ingenii vastitatem vel cogitationum sublimitatem vel meditationum felicitatem magis prodidit, quam in artibus mathematicis. In quibus difficillimas arithmeticae et geometriae disciplinas perficere aggressus, supra omnem expectationem ad humani intellectus apicem progressus fuisse recte censetur. Non prouocabimus ad vniuersi orbis mathematici sententiam et consensum, quem conspirare amice in hac Leibniziani nominis gloria, nemo est rerum literariorum tam ignarus, ut nesciat: sed ipsa viri maximi specimina *Actis eruditorum et Ephemeridibus Parisiensibus* pleraque inserta in partes vocamus, quibus tantum matheseos sublimiorem iuuit, quantum ab humano ingenio proficisci potuit. Illustre autem prorsus exemplum est calculus differentialis, cuius inuentionem, praestantiam, usum, sublimitatem hoc loco describere velle, esset falcem in alienam messem mittere. Consuli de eo debent qui hodie magnis passibus tantum virum sequuntur geometrae Galli et Germani incomparabiles: inter quos primi fere laudatissimam scientiam explicare et transferre in usum coeperunt Bernoullii fratres, primus integram scripto explicatam dedit illustrissimus HOSPITALIVS <sup>c</sup>, vel potius, cuius schedis et institutione is usus est illustre hodie Basileae fidus Ioannes Bernoullius <sup>f</sup>. Id vnum obseruamus, quantitates infinite paruas calculo subiicientem, Leibnizium satis demonstrauisse, quantis gressibus aliorum lumina anteuertendo, in ipsa infiniti adyta penetrare coeperit. Vnde suo iure inter maxima orbis ingenia locum sibi vendicat, quem incassum, si fatendum, quod res est, illi denegant, qui inuentionis illustris gloriam Leibnizio tribuere recusant, magnae Britanniae mathematici, quibus illustris eques Isaacus Newtonus, cui methodum fluxionum, cum calculo differentiali conspirantem debemus, Leibnizio praeluxisse visus est. De qua re controuersiam non sine animorum motibus agitatam, heic exponere esset historiam matheseos sublimioris scribere, quae alio loco quaerenda est. Consuli autem praeter scripta *ἀποβάντα* possunt, quae viri clarissimi DES MAIZEAUX et LVDOVICVS <sup>g</sup> strictim exposuerunt, qui tamen inter se comparandi sunt, ut, quid in ancipiti argumento, in quo excutiendo ad leges rationalis scientiae haud semper attenderunt viri docti, et fidei historicae gradus non semper ponderarunt, verisimiliter credendum sit, pateat. Difficile enim esse, de re ipsa, quae facta respicit, statuere, vel inde constare, quia, licet epistolas chartasque ad historiam huius controuersiae illustrandam pertinentes a viris doctis examinare iusserit societas regia, quae postea typis quoque vulgatae sunt <sup>h</sup>, Leibni-

Bbb 2

zius

e) In *Analyti infinite paruarum*.

f) Vid. *Pinacoth. scriptorum illustr. dec. II.* in elog. Bernoulliano, ubi id ex indicio ipsius viri illustris retulimus.

g) II. cc. Ille Newtono, hic Leibnizio fauet.

h) Prodiit: *Commercium epistolicum D. IOANNIS COLLINS*, et aliorum de *analyti* promoti, iussu societatis regiae in lucem editum Londini 1712. 4. illud per omnem fere Europam distributum esse testatur LVDOV. I. c. p. 297.



zium tamen, qui consultus prius de eo examine non erat, alias schedas *ἀπογραφή* illis opponere promisit, quas vulgare tamen morte praeuentus non potuit. Vnde aequum censuit illustris societas <sup>1</sup> declarare, quod arbitrium interponere, et dirimere controuersiam lata sententia non uoluerit. Nobis id vnum hoc loco ad tuendam, quam Leibnizio deberi, praeter Angliam, omnis orbis mathematicus fatetur, gloriam annotauisse satis est, ipsum illustrem Newtonum in eo potissimum cum sectatoribus decertasse, ut ante Leibnizium analyfin infinitefimalem, quam methodum fluxionum vocat, se inuenisse, sibi que primi inuentoris gloriam deberi contenderet, negare non ausum <sup>k</sup>, quod negari quoque non potest <sup>l</sup>, Leibnizium ipsum suo ingenio illam debuisse, adeoque secundum inuentorem fuisse. Qua de re tantis animorum motibus an decertandum fuerit, cum vtrique viro maximo tanta ingenii vastitas configerit, ut meditationis profunditate et felicitate hanc viam detegere potuerit, aetas postera absque fauore et inuidia iudicabit. Certe Leibnizium animi magnitudo, toties probata a plagii suspitione eo magis vindicat, quo magis, recte annotante Fontenellio, iam in *Theoria motus abstracti* prodidit, fundamenta totius rei a se non ignorari; et ipse Leibnizius, si verum fatendum, nec verba torquentur, Newtoni famam plagii suspitione onerare nunquam intenderit, quod a moribus eius alienum fuisse vel ex solis epistolis constat, et multoties ab eo fuit improbatum. Illud nec contraria factio facile negauerit, cum anno dno 10 c lxxxiu prima calculi differentialis specimina prodire iuberet Leibnizius, neminem inuentionis gloriam ei denegauisse, eo que integro nouennio iure gauisum esse virum summum, donec primus Ioannes Wallisius inuentionem Newtono vindicaret. Verum de his disputare prolixius aliorum industriae relinquimus, dolemus autem scientiam infiniti, quam meditabatur vir summus, morte praeuentum dare non potuisse.

*Eruditio  
theologica  
Leibnizii.*

§. XXVIII. Eminuisse in omnibus fere partibus eruditionis Leibnizium ex dictis est manifestissimum. His si cognitionem theologicam adiecerimus, nihil faciemus, quod non veritas comprobauerit. Legerat enim et cum cura inspexerat veteris ecclesiae doctores, deque eorum placitis et acute et moderate iudicabat, cuius exempla haud pauca in *Theodiceae* opere occurrunt, in epistolis quoque nonnulla deprehenduntur. Recentiores autem theologos, et suae, cui addictus erat, et ceterorum, quae dissentiant, ecclesiarum euoluisset et examinasse, si alia non suppetent,

<sup>1</sup>) DES MAIZEAUX I. c.

<sup>k</sup>) Que Mr. Leibniz l'art inuenté apres moi, ou l'art eu de moi, c'est vne question qui n'est de nulle consequence, puisque les seconds inuenteurs n'ont proprement aucun droit a l'inuention. NEWTON Recueil T. II. p. 108. Ita vero tota controuersia non de ingenii acumine, sed de facti felicitate, temporeque priore contendit.

<sup>l</sup>) Negauit autem id, qui renouatae litis auctor erat cel. KEILLIUS in Epist. ad H. Sloane, Commerc. epist. p. 110. Contrarium tuetur BERNOLLIUS in Epistola adiecta Germ. Versio- ni Theodiceae p. 920. Frigidam vero distinctionem inter inuentorem primum et secundum retundunt A. E. 1720. Mart. p. 137. seqq.



rent, ea satis probant, quae in irenicis consiliis agitavit atque scripsit, quaeque cum Pellissonio de articulis in controuersiam vocatis disputavit. Laudandus vero in eo magnopere, quod philosophiae auxilio, usus, diuini ingenii acie atheorum copias in fugam dederit <sup>m</sup>, et Socini affectas pestum dederit <sup>n</sup>, eorum argutias rationum acumine confundendo. Quod pro ecclesiae Lutheranae dogmatibus ita adhibuit, ut qui praecipue eam a reliquis coetibus disiungit, articulum praesentiae sacramentalis in S. coena, rationibus quoque philosophicis confirmari posse confideret <sup>o</sup>. Quamuis enim, ut animo erat ab omni seruili iugo abhorrente, et in tolerandis dissidentibus inter Christianos esset facillimus, immo valde ad vnionem inter eos reuocandam inclinans consiliis, rationibus, cohortationibus pacem suaderet, discedere tamen ab eius ecclesiae communione noluit, etiam magnis promissis tentatus <sup>p</sup>.

§. XXIX. Sunt et alia, in Leibnizio laudanda, quae vero hic tangere omnia breuitas, cui in abundanti argumento studendum, prohibet. Non tacenda tamen inexhausta eius diligentia, qua dies noctesque intentus studiis tot meditationibus excitandis, fouendis, examinandis, tot vasis voluminibus voluendis, tot itineribus suscipiendis, tot epistolis scribendis vnus suffecit. Nempe ineffabilis cupiditas iuuandi literas, iuncta ingenio excellentissimo et ad hanc rem nato, calcaris instar erat, ut cuncta alacriter susciperet, suscepta autem magna patientia persequeretur. Cuius rei testimonium omni exceptione maius exhibet primo quidem studium, quod immensum posuit in excolendis perficiendisque inuentis, maxime autem in absoluenda machina arithmetica, cuius eum curam iam inter Gallos Anglosque versatum habuisse supra memorauimus, et in quam ingentem vim pecuniae profudit <sup>q</sup>. Qui sumtus, quos in machinas et alia huius generis impendit, in causa fuerunt, cur, licet frugaliter viueret, et magnis redivisibus ex munificentia principum gauderet, eam tamen auri summam, ut nonnulli fingunt <sup>r</sup>, non reliquerit, quae admirationem meruisset, sed intra mediocritatem eius facultates constiterint. Deinde industriae specimen esse possunt itinera frequentia, quae vel rogatus a principibus, vel instinctus desiderio promouendarum disciplinarum,

B b b 3

suscepit.

*Diligentia  
Leibnizii.*

m) In Demonstratione existentiae Dei, Arti combinatoriae adiecta, quam repetit LVDOV. I. c. P. I. p. 315. et in Confessione naturae contra Atheistas, adiecta a SPITZELIO nostro libro de Atheismo. Etiam in hac descriptione nonnulla postea displicere Leibnizio, vid. Leibniziana p. 62. Sed et Causa DEI. Theodiceae addita huc pertinet.

n) In Defensione Trinitatis per noua logica repta, quae extat etiam in apparatu liter. Viteberg. Coll. I. Spec. XI. p. 226. seqq.

o) Supponebat vir illustris: „Substantiam corporis in potentia primitiua actiua passiuaque consistere, et in huius applicatione immediata, consistere praesentiam substantiae etiam citra di-

„mensiones,“ vid. Epp. Vol. I. p. 41. conf. Discours prelim. de la Theodicée §. 20. conf. KORTHOLT. ad l. c. CANZ. de Vsu phil. Leibnizianae in theol. c. VII. p. 309. Epp. ad Pellisson. p. 323.

p) Conf. FONTENELLE l. c.

q) 24000 thalerorum summam in eam impendisse tradunt Noua literaria Lipsiensis 1717. p. 376. et tamen imperfecta mansit. Plura de ea dabit Cl. LVDOVICI diligentia l. c. P. II. c. 21. §. 328. p. 233. seqq.

r) NICERON. Memoires l. c. qui a peregrinante quodam, ut saepius illi accidit, deceptus esse videtur.



suscepit. Cum enim abundantissimam doctrinam nutrire merito crederetur, et insolitum viri acumen in aulis principum magnam exultationem meruisset, fauor inde aularum secutus est, quibus obsequium praestare eo magis annifus est, quo magis ita felicissime promoueri extendique rei literariae fines posse intelligebat. Id quod magno orbis eruditi commodo factum esse, ex iis, quae supra de mora Leibnizii in aula Moguntina, Hanouerana, Berolinensi, Viennensi et apud Russorum imperatorem tradidimus constat. Nec omittendum est, in historia Leibnizii philosophica, virum illustrem, quem viuendi prudentia et philosophiae cognitio etiam foeminis commendauit, purpuratis atque illustrissimis, literis eas compellauisse; sic vt commercium hoc literarium testis sit fide dignissimus profusque immortalitati tradendus, non deesse nostrae aetati foeminas, quae mulierum philosophantium catalogo summo iure mereantur adscribi. Inter quas et natiuitatis sorte et ingenii scepro atque diademate digni excellentia primum locum tenent, Sophia Charlotta, Borussiae regina, et Guilelmina Charlotta eo tempore princeps regia Walliae. Et illam quidem *Theodiceae* scribendae auctorem fuisse Leibnizio, vbi hypotheses suas explicantem audiuiisset, supra iam narrauimus. Ad quam excelso, quo posita fuit, loco non tam fortunae quam naturae muneribus et consummatae virtutis meritis dignam plures epistolas scripsit, quae quales fuerint, ipse alicubi prodidit Leibnizius, scribens ad Ioan-nem Albertum Fabricium\*, *optare se plerasque epistolas a regina Borussiae et ad eam scriptas non combussissent male circumspecti homines, habituros enim nos, quae facile opponi reginae Suedorum possent. Non paucas tamen passim seruatas esse, et inter eas nonnullas ad seipsum sibi superesse; unde vim ingenii in principe foemina, animumque mire ad doctrinas erectum intelligas.* Alteram principem autem nobilitauit in ciuitate philosophica controuersia illa literis reciprocata inter Leibnizium et Clarckium, cuius supra facta est mentio; illa enim committere inter se acutissimos philosophos dignata, ipsa scriptorum et disceptationum testem egit atque arbitrum. His tertiam addimus Charlottam Elisabetham, Caroli Ludouici electoris Palatini, principis literatissimi, filiam, Philippo V. Aurelianensi duci nuptam; ad eam enim de antiquitatibus nonnullis nuper detectis erudite differuit, et cum Baudelotio, ea attenda, disceptauit. Sed et alias foeminas illustres literis addictas sibi fauentes literisque innotescens habuit, leguntur enim in memoriis Leibnizianis passim extantibus nomina Brinoniae', Kilmanseggeriae comitis", Cleinburgiae\*, Cudworthiae', Mashamo iunctae, Weileriae', et praecipue Saphus

\*) Vol. I, p. 256.

s) Vid. LEIBNIZII Collectanea etymologica p. 75. seqq.

t) Leibniziana p. 94.

u) Recueil T. II. p. 29.

x) Collectio epistolarum Leibnizii Gallica edi-

ta a KORTHOLOT p. 13. et Vol. III. Epp. pag. 117. seqq.

y) Dictum de ea supra.

z) Recueil des lettres de Mr. Leibniz par KORTHOLT. p. 12. seqq.



phus Gallicae, Magdalенаe Scuderiae <sup>a</sup>. Tacemus imperantes principesque alios, ad quos frequenter literas exaravit, et haud paucas ab iis accepit Leibnizius. Omnium autem luculentissime et studium quod seruavit Leibnizius, ingens scientias promouendi, et inexpugnabilem industriam probat commercium literarium, quod cum celebratissimis totius Europae viris aluit, quorum nomina adducere hoc loco omnia paginae angustia prohibet; fulgent autem velut inter ignes luna minores tituli nomenque Arnaldi, Behrensi, Eduardi Bernardi, Bernoulliorum, Bignonii, Boecleri, Boineburgii, Bosii, Burneti filii, Bouueti, Chamberlaynii, Caluini, Ciampini, Cluueri, Conringii, Contii, Crossaei, Dangicourtii, Dittoni, Edzardi, Ioannis et Io. Alberti Fabricii, Fahrenheiti, Fardellae, Foucherii, Gobienii, Graeuii, Grimaldi, Guerickei, Guilelmini, Hanfchii, Hardtii, Hartfoeckeri, Heraei, Hugenii, Jablonskiorum, Ianingi, Imhoffii, Kestneri, Kircheri, Kochanzkii, Kortholtii, Lanae, Langii, Leuwenhoeckii, Lehmanni, Longii, Ludolfi, Magliabechii, Marinonii, Mascouii, Menckeniorum, Michelotii, Molani, Montmorii, Morelii, Morhofii, Muratorii, Neumanni, Neutoni, Nicasii, Obrechtii, Oldenburgii, Papebrochii, Pellissonii, Peterfenii, Pfaffii, Pffessingeri, Pinsonii, Piroti, Reimmanni, Remondi, Reyheri, Roemeri, Schelhameri, Schmidii, Schraderi, Seckendorffii, Sloanii, Thomae Schmithi, Ez. Spanhemii, Sperlingii, Spinozae, Struuii, Sturmii, Thewenotii, Tenzelii, Thomafiorum, Tourne-minii, Tschirnhaufenii, Varignonii, Vignolii, Volcameri, Wallisii, Weigelii, Willisii, Witsenii, Christiani et Christoph. Wolfiorum, Wottoni, aliorumque multorum, quos nominauere FELLERVS <sup>b</sup> atque LYDOVICVS <sup>c</sup>. Tandem inter stupendae industriae et improbi laboris specimina numeranda quoque est, immensa, quam sustentabat Leibnizius lectio, atque studium ea excerpenti, quae legerat. Quamuis enim magno operum magnificorum apparatu eius bibliotheca non superbiret, quem Brunsvicensis Hanoueranae et Guelpherbytanae bibliothecae illi suppeditabant <sup>d</sup>, sed ad schediasmata breuia, dissertationes raras, folia fugitiua, et similia, quae cito disparere solent, maxime respiceret, indefinenter tamen per maxima et minima volutatus, quicquid memorabile visum schedulis inscripsit, easque suis dein repositoriis condidit, ex quibus suo tempore ordine desumere posset. Quem modum vt commodissimum atque vtilissimum expertus est <sup>e</sup>, ita didicisse videtur a PLACCIO <sup>f</sup>, qui similia repositoria descripsit.

§. XXX. Quemadmodum autem in pulcherrimis corporibus quidam interdum inueniuntur naevi imperfectionis, quam in optimo mundo reperiri Leibnizius contendebat, testes atque specimina, ita in maximo atque elegantissimo Leibnizii ingenio maculas nonnullas obseruauerunt, viri docti humanae imbecillitatis testimonia, et reprehendenda non-

*Desiderata  
atque reprehensa in  
Leibnizio a  
viris doctis.*

<sup>a</sup>) Vol. III. Epp. p. 96. 230. Leibniziana p. 95.

<sup>b</sup>) loc. cit.

<sup>c</sup>) Hist. Leibniz. P. II. c. 16. §. 100. seqq.

<sup>d</sup>) FELLER. I. c.

<sup>e</sup>) Id ipse testatur Vol. IV. epist. p. 54.

<sup>f</sup>) Vid. PLACCII Tr. de Arte excerpenti.



nonnulla, quae vel ad doctrinam eius pertinent, vel ad animum. Inter illa multa sunt, quae recentissima aetate, qua illustris WOLFII cura Leibnizianarum hypotheseum memoria valde resuscitata et vehementissimis controuersiarum dissidiis agitata est, apud quamplurimos suspecta facta sunt, ac si naturali pietati maxime vero reuelatis Christiane fidei dogmatibus e diametro essent aduersa. Quae tamen hoc loco adducere non vacat, nec speciali enarratione exponere licet, cum prolixiora sint, quam vt recenferi omnia in vniuersali philosophiae historia queant. Summam autem eorum, quae velut pestes quaedam ac fontes errorum periculis plenissimorum, a tot virorum doctorum calamis confossa ac obelo notata sunt, quaeque, si non omnia, potiore tamen parte suppeditauerunt paradoxae harmoniae praestabilitae et monadum hypotheses, ex *Recensione XXVI scriptorum aduersus philosophiam Wolfianam editorum*<sup>e</sup>, quam vulgavit venerandus IOACHIMVS LANGIVS, theologus Halensis celeberrimus, discere licet. Quanquam enim in accusanda illustris philosophi, Christiani Wolfii, philosophia horum scriptorum diligentia potissimum versata est, constabit tamen ex dicendis, virum celeberrimum potiores Leibnizii hypotheses suas fecisse, suoque, quod sibi formauit, systemati proprio adaptata recepisse, modum quoque Leibnizii in philosophando, maxime in metaphysicis fuisse secutum. Cuncta autem, quae in hac quidem parte obiciuntur, ad tria capita, eleganter, nisi fallimur, reuocauit doctissimus KORTHOLTVS<sup>b</sup>, alii enim, *Φιλοσοφούμενα* Leibnizii omnem tollere libertatem contendunt; alii sanctitatem Numinis ab iisdem laedi afferunt; nonnulli, etsi ab hac accusatione liberum pronuntiant, obtrudi tamen loco Christianae religionis theologiam quandam naturalem atque philosophicam, quae Spiritus S. opera ac motu opus haud habeat conquirentur. Non hic locus est, nec instituti nostri ea ratio, vt quibus potissimum argumentis tanta *ἐγκλήματα* viro illustri obiciantur, prolixè exponamus: dabitur tamen infra placita philosophiae Leibnizianae enarrantibus occasio nonnulla, quae huc pertinent, paucis tangendi. Id nos in praesentia monemus, fuisse haud paucos, qui Spinozismi, saltem Deismi incrustati culpam Leibnizio, et qui eius hypotheses suas fecit, Wolfio intendant. Ita enim et anonymo visum<sup>i</sup>, qui Cabbalisticam *ἄσσοφίαν* in monadologia et harmonia praestabilita deprehendit; et Io. GODOFREDVS WALTHERVS statuit, qui Eleaticam impietatem renouauisse Leibniziana philosophemata assertum iuit<sup>k</sup>. Maxime autem RWARDVS ANDALIA<sup>l</sup>, Leibnizium Spinozismi accusare non cunctatus est, cuius vestigia secuti sunt, quotquot necessitatem Spinozisticam in systemate harmoniae praestabilitae deprehendi contenderunt, quorum tamen heic excitare nomina

g) Halae 1725. 4.

h) In praef. Tomo IV. Epp. Leibnizian. praemissa, in qua de philosophia Leibniziana Christianae religioni non perniciose differit.

i) In Harmonia phil. recentiorum sibi ipsi con-

traria, c. 3. §. 8. p. 21. seqq. cuius docti libelli auctor est vir celeberrimus Io. Georgius Wachterus.

k) In Sepulchris Eleaticis recens apertis.

l) In Diff. de Vniene montis et corporis physica. §. 3. p. 2.



mina superfedemus, cum haec recentiori demum aetate in controuersis Wolfianis obiecta sint, quarum historia alio tempore enarranda est. Non tacendum vero, ipsos Iesuitas Triuoltinos, magnos cetera Leibnizii admiratores, cum recensione *Theodicae* facta sententiam dicerent<sup>m</sup>, laudata ingenti lectionis et iudicii copia, et tractationis ordine, accuratone et concinnitate systematica, fateri tamen, multos errores philosophum summum admisisse, maxime vero optimi mundi assertionem (optimismum vocant) non nisi laruatum materialismum et spiritualem Spinozismum inuoluere, eiusque suspensionem iam antea per monades, harmoniam praestabilitam, brutorum immortalem et immaterialem animam eum meruisse; ita enim Deo in *αυτόματον* conuerso omnem prorsus libertatem euerit, atque hac noua scientia physica geometrico-mechanica Spinozisticae necessitati frigidam suffundit. Immo in ipsa dissertatione praeliminari Deismum magna cautione confirmatum esse pronuntiant. Aequiores tamen in eo se praestant Leibnizio, falsi, non data opera et malitioso consilio talia effinxisse, sed rationis abusu, cum vim eius maximam animo possideret, ideoque argumentationibus metaphysicis cuncta complecti vellet, qui virum cetera bonum se semper praestiterit. Tacemus alia, quae Britannici philosophi, maxime Clarcus harmoniae praestabilitae obiecerunt, quam tibiam quoque inflauit Warburtonus<sup>n</sup> alique. Ita vero dum naturam Christianae religionis a philosophia Leibniziana euerit plurimi timent, ipse Leibnizius pietatem non nisi naturalem coluisse quibusdam visus est, adeo ut viuum inter suos in suspensionem naturalismi quem vocant, adductum esse non nemo<sup>o</sup> retulerit. Praeter ipsa philosophumena et decreta Leibnizi methodus quoque philosophandi haud paucis displicuit. Inter quos illustris NEWTONVS id reprehendi in eo posse aequissimis rationibus putat<sup>r</sup>: quod hypotheses praeferat ratiociniis ab inductione petitis, aut experientia duce haustis, quodque loco quaestionum, quarum examen ab experientia fieri debet, hypotheses erigat, easque admitti postulet priusquam examinentur. Aliis in ipso ratiocinationis filo, hypothesis amore seductus ab iis, quae antea asseruerat, deficere visus est, unde negligentiam quandam et attentionis defectum in eo culpant Ephemeridum Triuoltiensium conditores<sup>q</sup>. Qui dum ita contra Baylium pugnauisse Leibnizium putant, ut in ipso acerrimi conflictus feruore subito arma deponere et pacem inire videatur, in eorum sententiam concedere videntur, qui non ex animi sententia, sed *εἰς ἄριστον* tantum et ad tentandam eruditorum mentem istam pugnam iniisse contenderunt<sup>r</sup>. Displicuerunt quoque in eo alia, quae quan-

m) 1737. Febr. art. 1. vnde reperuntur in accessio-  
nibus ad Noua liter. Lips. T. III. p. 425. seqq.  
n) Vid. History of the Works of the Learned  
1739. Febr. art. 2. KORTHOULT. l. c. §. 8. p. 17.  
o) Anonymus ad biographiam Fontenellianam.  
p) Recueil T. II. p. 18. quae more suo repetit

VOLTAIRIUS in Comparat. phil. Leibniz. et  
Newton. p. 59.

q) loc. cit.

r) Vid. Summe Reu. PFAFFII diff. de Morte  
naturalis §. 5. p. 17. vbi se in ea dicit esse sententia,  
Leibnizium totum illud systema, quod P. Baylio op-  
posuit



quandam animi ἀρετήν referre visa sunt. Inter quae haud postremum est, quod veteribus supra modum delectatus recentiorum, maxime eorum, qui circa tempora sua caput efferre nouaque philosophiae facie nitescere coeperunt, cogitata alte despexerit, eorumque meritis obtrectando obelo eorum placita confixerit, licet id non merentia. Quod inuidiae causa factum esse, ut scilicet nouae, quam condere coeperat philosophiae viam atque gloriam pararet, nonnulli valde suspicaces, conuesti sunt<sup>1</sup>. Ita inuidisse Lockio atque Newtono philosophiae interioris gloriam, hacque ex causa Cartesii doctrinam Spinozismi suspicione onerauisse visus est. Maxime autem ea, quae in Pufendorfium dixerat, ab animo aegre famam atque fortunam systematis iuris naturae ab eo asserti productique in lucem ferente profecta esse, plerique coniecerunt; quibus clara et luculenta Pufendorffii tractatio obscura et Scholasticos imitata philosophia Leibnizii iudicata est. Qui et nugae Scholasticorum et metaphysica somnia Platonis philosophum noua veste induta reuocauisse in lucem<sup>2</sup>, et inextricabili obscuritate fucum haud raro legentibus fecisse atque nebulas obiecisse contenderunt<sup>3</sup>. Tacemus alia, a Cartesianis, Newtonianis, aliisque, qui nouam eius metaphysicam oppugnabant ei obiecta, et non sine inuidia, ut humanae ingenii vitio, plerumque in controuersis fieri solet, cumulata, inter quae numeranda sunt, quae satis inhumaniter contra eum disputarunt Tatius Duillerius, Keilius alique ex Britannis, quibus et plagii culpa eum onerare, et acerbiora nonnulla virosque bonos vix decencia obiicere placuit<sup>4</sup>. Ab amicis autem<sup>5</sup>, cetera plurimum ei fauentibus quaedam, ut nemo est ab omni parte perfectus, in eo reprehensa sunt, quae humanae imbecillitatis specimen esse possunt. Inter quae eminent animus ad celestis irae motus pronior moxque exardescens, sed tamen paulo post sedatior; vnde factum, ut ex initio disputationis contradictionis fuerit impatientior. Quidam aliquam πλεονεξίαν suspensionem in eo deprehendisse, sibi visi sunt, quod in tanta redituum affluentia satis parce sine familia viueret<sup>6</sup>. Alii gloriae stimulo nimium actum et πανεπιστημιούχης atque famae cupiditate plus quam par est incensum, latius se diffusisse per omnes eruditionis partes, quam iniuncti muneris partes postulabant, hincque tandem

potuit, per lusum ingenii quendam saltem confixisse nec serua mente id egisse: et Baylio frigidam potius suffudisse. Id se ipsi Leibnizio fuisse factum, et virum summum subridendo dixisse, rem eum acu tetigisse. Ipsam Leibnizii epistolam tandem vulgavit in Act. Erud. 1728. Mart. In qua ita scribit Leibnizius: „Ita prorsus est, V. S. R. vti „scribis de Theodicea mea, rem acu tetigisti. Et „miror, neminem hactenus fuisse, qui lusum hunc „meum senserit. Neque enim philosophorum est, „rem serio semper agere, qui in fingendis hypothe- „sibus, vti bene mones, ingenii sui vires experiun- „tur, tu, qui theologus es, in refutandis erroribus „theologum ages.“ Simile quid suspicati sunt DES MAIZEAUX Prof. du recueil p. 172. CLERICVS Bibl. anc. et mod. T. XV. P. I. art. 16. p. 179.

POIRET. de Nat. et orig. idearum. P. IV. S. 3. §. 9. p. 323.

5) CLERICVS Bibl. anc. et mod. T. IX. P. I. art. 6. BARBAYRAC Reflexions sur le Jugement de Mr. Leibniz sur les devoirs de P. H. et C. de Pufendorf. BVDDEVS Hist. phil. c. 6. p. 492.

t) Citati.

u) DES MAIZEAUX I. C. CLERIC. Bibl. anc. et mod. T. XXIII. P. II. art. 8. auctor diff. de Anima brutorum, vid. Journal Littéraire T. XIII. P. I. art. 16. qui purat Leibnizium ipsum suum systema non satis cepisse.

x) Vid. Recueil. T. II.

y) A. E. I. C. FONTENELLE I. C.

z) Ibid. LVDVICI I. C. §. 249. p. 280.



dem aulae Hanoueranae indignationem meruisse iudicarunt <sup>a</sup>. Ipsa vasta viri immensa eruditione pollentis lectio non fatis digesta visa est, eo quod vaga esset et subita, cuiuscunque generis librorum, ex quibus multa excerpta in schedulis paruis descripta, pauca tamen redacta sint in ordinem <sup>b</sup>. His tandem illi adiiciendi sunt: qui narrant, de fato supremo admonitum composito et frigido oris habitu hoc dedisse responsi: ceteris quoque hominibus esse moriendum, hisque dictis mox efflauisse animam <sup>c</sup>.

§. XXXI. Grauia haec esse, et famam illustris viri haud parum imminuere apta, nemo non intelligit. Non defuerunt autem, qui viri immortalibus meritis de eruditione vniuersa inclyti apologiam susceperunt scribere, eumque contra has obiectiones atque facta a viris doctis opprobria vindicarunt. Et praecipue quidem in eo versata est virorum eruditorum, qui Leibnizianae memoriae fauent industria, vt ab impietatis et naturalismi suspicione eum liberarent, ac innocentissimum esse systema metaphysicum Leibnizii, ac neque in Deum, neque in libertatem humanam, neque in decretorum diuinorum ordinem, neque in Scripturam Sacram et Christianam religionem miraculis confirmatam iniuriam demonstrarent. Et huc quidem omnes pertinent, qui libellis eristicis Antiwolfianis responderunt, et atheismi clandestini atque indirecti obiectionem non a Wolfio tantum, sed a Leibnizio quoque, qui per latus Wolfii istis telis petebatur, retulerunt. Quos hoc loco enarrare institutum prohibet, quod demortuorum philosophorum, non vero hodie viuentium historiam describere, praescripto termino, iubet. Consuli autem ab iis debet, qui plura hic cupiunt, clarissimi LVDOVICI industria, qui omnium prolixissime et diligentissime *Historiam philosophiae Wolfianae* <sup>d</sup> enarrauit. Non tamen indictos praeterire licet viros clarissimos <sup>e</sup> ISRAELEM THEOPHILVM CANZIVM et CHRISTIANVM KORTHOLTVM. Ille enim *Philosophiae Leibnizianae et Wolfianae usum in theologia per praecipua fidei capita* demonstrare, et ostendere aggressus est, eum sensum esse placitorum Leibnizianorum in suspensionem adductorum, vt cum decretis Christianis amica concordia conspirent. Hic autem *quarto volumini epistolarum Leibnizianarum* a se edito dissertationem doctam et luculentam praemisit, in qua ipsis Leibnizii verbis recitatis contendit, eius philosophiam atque doctrinam Christianae religioni non esse perniciosam, et nec libertatis dogma, nec principium rationis sufficientis, neque praedispotionem, quam vocat, neque hypothesin de harmonia praestabilita inter animam et corpus, neque doctrinam de origine mali et de miraculis quicquam continere, quod vel sanctitati Numinis

C c c 2

vel

a) FELLER, l. c. p. 23.

b) Ibid.

c) Ibid.

d) c. 14. Part. I. et II.

e) Illis merito addi potest tertius illustris BVL-

FINGERVS, qui in Dilucidationibus philosophicis eandem operam Leibnizio atque Wolfio erudite praestitit, et haud vulgare acumen mentis demonstrauit.



vel libertati voluntatis humanae, vel principiis actionum moralium, vel legi Christi refragetur. Ita vero Spinozismi quoque suspensionem tolli contendunt, eo quod ingens intercedere discrimen putant inter fatalem necessitatem a Spinoza introductam et nexum rerum a causa sapientissima introductum, et cum libertate actionum humanarum facile reconciliabilem <sup>f</sup>, eo quod a Leibnizio homini ea tantum praedeterminatio vel praedeterminatio, quae connexionem rerum fistat, vindicetur, qua, etsi alterum prae altero eligat, in ipso sui exercitio, et constanter quidem, suo tamen id faciat arbitrio, possitque in hisce omnibus circumstantiis agere aliud atque aliud <sup>g</sup>. Qua in re ad ipsius LEIBNIZII verba prouocant, statuuntis <sup>h</sup>: *Licet nunquam eueniat quicquam, quin eius ratio reddi possit, neque vlla vnquam detur indifferentia aequilibrum, quasi in substantia libera, et extra eam omnia ad oppositum vtrumque se aequaliter vnquam haberent, cum potius semper sint quaedam praeparationes in causa agente, concurrentibusque, quas aliqui praedeterminationes vocant: dicendum tamen est, has determinationes esse tantum inclinantes, non necessitantes, ita vt semper aliqua indifferentia siue contingentia sit salua: nec tantum vnquam in nobis affectus appetitusque est, vt ex eo actus necessario sequatur.* Quin et celebrem illam de mundo optimo Leibnizii hypothesein fatali huic necessitati fauere pernegant, eo quod creationem innumerabilium mundorum aliorum possibilem, adeoque praesentis ex contingentia quadam factam, Leibnizius asserat, secus ac Spinoza statuat, nec aliud velit, quam impulisse creatorem sapientiam eius summam bonum maius prae bono minori eligere, cum duos mundos aequaliter bonos esse ex principio indiscernibilium, quod vocat, impossibile sit. Et ita quoque, quae de malo ad mundi optimi rationem a Leibnizio requisito, obiciuntur, velut in sanctitatem diuinam iniuria tolli posse putant, eo quod optimus mundus id tantum velit: seriem contingentium omnium praesentium, praeteritorum, futurorum, optimam esse, quoniam mundus, qui eam complectitur, ab ente sapientissimo conditus sit, neque optimum hunc mundum esse desinere, licet in eo sit malum, quum et mala ab ente sapientissimo in optimum finem dirigantur; ratio autem diuinae voluntatis atque electionis non nisi a bono sumi possit. Tacemus ea, quae prolixè ex scriptis Leibnizianis per potiores doctrinae Christianae articulos adduxit diligentissimus Kortholtus, vt euinceret, Leibnizium de principio cognitionis in diuinis et Scriptura Sacra, de trinitate, de peccato originali, de Christo, de miraculis, de operationibus Spiritus sancti, de testimonio Spiritus sancti interno, de virtutibus Christianis, ita statuisse, vt salua maneat fidei capita ab oraculis sacris definita, et omnis religionis naturalis ad salutem sufficientiae suspicio euanescat. Ex quo non tam frigide externam quoque religionis professionem edidisse concludunt, licet sint, qui concedant,

f) Acute de hoc discrimine peculiari schediata differuit illustris C. WOLFFVS.

g) BULFINGER I. c. S. I. c. 4. §. 88. p. 81.  
h) In Causa Dei Theodiceae subiuncta §. 105.



dant, sacrarum doctrinarum interpretes negligentius eum audiuiffe <sup>i</sup>, eo quod eorum dissertationes saepe inanes ei viderentur, aut aculeatae, quod an verum sit, illi dicent, qui cum Leibnizio vno loco vixerunt. In scriptis enim animum a pietate minime alienum saepe demonstrat, et haud obscure virtuti Spiritus S. internae locum facit <sup>k</sup>, et statuit <sup>l</sup>, *poetas non posse melius de republica mereri, quam si omnibus viribus in aeterna felicitate omni colorum genere pingenda atque animis imprimenda occupentur, eique rempublicam Christianam plurimum debituram, qui effecerit, ut summa sit in pietate iucunditas.* Valde autem contemnunt sectatores Leibnizii, quae Newtoni affectae contra hypotheticam Leibnizii philosophiam monuerunt <sup>m</sup>, his enim adhibitis theorematibus, adductisque regulis generalibus in ea naturae adyta penetrasse philosophum contendunt, quae cum non perspiciant aduersarii, pro hypothefibus fundamento carentibus habeant. Ipse vero Leibnizius dum se vniuersalissimis quibusdam principiis paucisque axiomatibus natura notis, maxime vero principio rationis sufficientis et indiscernibilium, de quibus infra, aedificium metaphysicum inaedificasse contendit, inductionis particularis vitia Newtoni affectis obicere non omisit. Valde autem eius amicis displicuit, quod Leibnizius in *Theodicaea* simulatam tantum pugnam iniisse dicatur, vrgent enim iisdem hypothefibus atque decretis, quibus Baylium aggressus est, per totam eum vitam fuisse addictum, ea vbiq; etiam in extremis vitae annis sparsisse, iis geometricum demonstrationis habitum induisse, sic vt dubitandum non sit, quin veram sententiam mentis suae aperuerit <sup>n</sup>. Quare licet vir summus Matthaeus Christophorus Pfaffius, ad ipsum Leibnizium fatentem, se seria haec mente non egisse prouocauerit, illi tamen, qui Leibnizio fauent, id probari inde non posse magnis animis contendunt. Contra inuidiae suspicionem ea allegantur, quae cum gloriae propriae neglectu pro aliis egit promouitque Leibnizius supra iam ex parte enarrata. Quibus additur, illis ipsis, quibus dicam aliquam scripsit; nec laudem eruditionis et ingenii denegasse, nec alio eos sine notauisse, quam quod intelligeret, superficialiam eos philosophandi rationem et philosophiam quandam exotericam ad interiores naturae et essentiarum recessus non penetrantem velut summa Palladis mysteria crepare et iuuentuti, leuiter tinctae propinare: certe sua principia metaphysica secutum, ordinique ratiocinandi atque demonstrandi geometrico addictum illis pretium ponere magnum non potuisse, apud quos ratiociniorum *ἀραξιν* quandam deprehenderet. Quam vbi obseruauerit, extulisse eum ingenia etiam in sententias finitimas deuiantia, vt ex eius iudicio de Hobbesio constare possit. Ipsi vero Cartesio fatis honoris detulisse, quum in adyta quidem philosophiae

Ccc 3

i) Anonymus ad FONTENELLIVM, pag. 909.

k) Vid. Praef. Theodicae §. 29.

l) Leibniziana p. 175.

m) Conf. Cl. KAHLVS in Compar. philos. Leibniz. et Newton. p. 133. et passim.

n) Vid. Cel. GOTTSCHEDIVS Vindic. syst. influxus phycici §. 2. sqq. LVDOVICI l.c. P. I. §. 485. p. 477.



phiae non peruenisse, aut limina eius tamen adiiisse fateretur <sup>o</sup>. Et simili quidem ratione veteres non recentiorum inuentionibus et praeclaris luminibus, sed contemptui imperitorum opposuisse secretum, ex omnibus magnorum virorum assertionibus aliquid veri eruere. Et hi quidem obscuritatem oriri non ex philosophi culpa, sed legentium, methodo mathematica eiusque neruis non assuetorum, dicitant. Animum autem celebriori irae tumultu excitatum, dum cito placaret, et omnium scientiarum iuuandarum studium ad communem vtilitatem transferret; ingenio vero diuino fides et memoriae incredibili, quaedam negligere sine ἀραξία posset, ferri in eo posse istas labeculas putant, quas supra tetigimus. Nihil autem frigidum, et ab aequitate alienum magis esse, quam narratiunculis vulgi virorum fumorum pietatem circa extremas horas in suspicionem adducere, nemo facile paulo moderatori animo erit, qui non fatebitur. Nos his omnibus, quae contra Leibnizium et pro eo viri docti, interdum feruore plus iusto, accensi disputarunt, arbitrium non interponimus, sed ad Lectoris prudentiam prouocamus: immo nec eorum omnium patrocinium suscipimus, quae affirmanda sibi esse credit Leibnizius: in quibus sine inferenda tanto viro iniuria facile concedi potest, esse παράδοξα multa et consequentiis valde odiosis exposita, nonnulla reperiri, quibus satius fuisse videtur, si acumen metaphysicum paulo magis repressisset: aut id tamen aequitas postulat, vt et earum consequentiarum inuidia non prematur, quas detestatus est, cum facile fieri possit, vt acutissima quoque ingenia systematis et hypotheseos amore occupata talia nec videant, nec fluere ex assertis putent, quae alii satis clare se cernere contendunt: et vt hypotheseos ratio atque natura respiciatur, quae non semper ea pro veris habet, quibus velut adminiculis vitur ad detegendam rerum naturam et soluendas τῶν φαινόμενων rationes. Quibus monitis id recte effici posse putamus, vt a mali animi suspicione liberetur philosophus praestantissimus, cuius vita tot boni viri specimina exhibuit. Et concedamus, non omnia vidisse Leibnizium, in nonnullis maximo, quod possidebat ingenio nimium fuisse confisum, quaedam paralogismis inaedificata admisisse, non perspexisse sinistras consequentiarum ambages facile ex quibusdam assertis enascentas, adeoque securius decreuisse, et imprimis nimis hypotheseos indulgisse; quid ex his aliud concludemus, quam fuisse Leibnizium hominem, licet magnum, et mortalitatis infirmitates fuisse perpe-

<sup>o</sup>) Praeclare Leibnizium de Cartesio, neque contra modestiam iudicasse, ex iis, quae suo loco in historia Cartesii dicta sunt constat: et si quid iudicamus, omnino ab inuidiae crimine absuisse, concedi FONTENELLIO aliisque debet. Faitemur tamen, iniquiorem eum videri in Pufendorfium, quem quavis occasione fugillat. Quod tamen non inuidia stimulante, sed animo vulnerato fecisse, ex iis colligimus, quae ad Bierlingium

scripsit Vol. IV. Epp. p. 14 indignationis plena et humanitatem Leibnizii non spirantia. Ibi enim inter alia ait: „Receperat is aliquando in se cur rationem negotii cuiusdam mei in Suecia, sed „per amicos didici, contraria omnia ab illo acta „esse; inde optime eum animatum virumque bonum fuisse negat.“ Ita magni quoque viri homines sunt!



perpeffum ?? Ast insignibus tamen meritis fuisse illuftrem eaque merito-  
rum ferie enituisse, quorum memoriam nulla vnquam aetas delebit.

§. XXXII. Non caruisse Leibnizium aduerfariis, ex enarrata hacte-  
nus eius hiftoria est manifestum: idque et in orbe mathematico et in phi-  
lofophico contigit. Et ingenia quidem mathematicorum Britanniae ma-  
gnae ipsi valde aduerfantia expertus est, ex quo infausta de gloria inuen-  
tionis calculi differentialis controuersia enata est: quam cum supra iam te-  
tigerimus, hoc loco nihil dictis aduicimus. Propagata autem est ad phi-  
lofophiam quoque Leibnizianam ista inimicitia, factumque inde, vt et  
ipse Newtonus, cetera non nisi geometriae, opticae, astronomiae me-  
chanicaeque addictus quique metaphysicum agere nunquam in animum  
induxerat, *Φιλοσοφούμενα* nonnulla Leibnizio opponeret, principiis  
suis physico-mathematicis inaedificata, et qui eum presso pede secutus  
est, Clarckius magnis arietibus hypotheses Leibnizii philosophicas, me-  
taphysicas pariter atque physicas confodere inciperet. Nec cum Carte-  
sianis, quique ex horum numero prodierunt, Mallebranchio eiusque  
discipulis fatis amice ei conuenit; habuitque Catelanum aliosque aduerfa-  
rios, Andalam autem castigatorem principiorum metaphysicorum, etiam  
a suspicione Spinozismi imputanda non alienum. Tacemus illos, qui  
vulgata harmonia praestabilita contra illum surrexerunt, et quibus ipse re-  
spondit, Foucherium, Lamium aliosque supra iam memoratos. Maxi-  
me P. Baylio virum illustrem hostilia arma intulisse, apparatus *Theodi-  
ceae* loquitur; ille autem harmoniae praestabilitae bellum quoque indixit,  
cuius obiectionibus Leibnizius respondit. Disputauisse autem cum Stur-  
mio quoque atque Schelhammero de notione naturae atque substantiae,  
ex supra dictis repetendum est. Commiserunt eum quoque singulares,  
quas in argumento historico fouebat, hypotheses, cum Kulpifio, Pfanne-  
ro, Gundlingio, Tournemino aliisque, quorum supra iam mentio facta.  
Ipsa autem eius philosophiae dogmata aduerfarios fere innumeros in Ger-  
mania et extra eam reperisse, nemo non ex iis, quae de reprehensionibus  
virorum doctorum suo loco diximus intelligit. Factum inde, vt Leib-  
nizianae philosophiae breuem aetatem, fortunamque non satis beneuolam  
quidam vaticinarentur, quae imprimis coniectura fuit clarissimorum vi-  
rorum FONTENELLII et DES MAIZEAUX. Ast falsos eos fuisse, *Sectatores  
Leibnizii.*

p) Aut fallimur, aut id vnice in epistola ad  
cel. Pfaffium voluit Leibnizius, se hypothetice  
tantum Baylium resurauisse, quemadmodum ei-  
dem, admissa Originis hypothesi, respondit Cle-  
ricus. Ast hoc non obtante poterat his hypothe-  
sibus serio inhaerere, cum verisimiles et ad ex-  
ponenda mysteria philosophiae aptissimas iudicaret.  
Nihil itaque egit philosopho indignum, et a viri  
boni officio abluens, sed nec ideo nimium con-  
sequantiis premendus est.

q) Ex iis philosophiam Newtonianam exculpfit  
Voltaerius, vt haberet, quod Leibnizio opponer-

ret, inuito, vt videtur, Newtono, quem de sy-  
stemate metaphysico nunquam cogitasse, sed na-  
turalem tantum doctrinam matheleos opera inua-  
re voluisse, idque praeclare fuisse executum con-  
stat. Conf. Cl. KAULIVS l. c.

r) Vid. Recueil T. II. p. 211. vbi extat examen  
principiorum Mallebranchii. Controuersiae cum  
Catelano ad argumentum mechanicum pertinuerunt.

s) Vid. supra p. 385. not. o)

t) l. c. p. 875.

u) l. c. p. 70.



euentus prodidit. Nam nondum humanis rebus erepto Leibnizio inter mathematicos pro eius partibus stetero magna nomina Gallorum, Germanorum, Itolorum, inter quos Bernoullios primo fere loco ponere aequitas postulat, quibus calculus Leibnizianus plurimum incrementorum debet, quique alia quoque philosophiae Leibnizianae capita, praecipue quod de viribus corporum viuis tradit, et illustrarunt egregie, et fortiter propugnauerunt \*. Philosophia autem, vel metaphysica potius Leibniziana, auctore suo adhuc superstite in sectam non abiit. Id quod praeter difficultatem et sublimitatem eius, qua plerisque lectoribus obscura facta est, ipsi quoque parenti suo debet, a spiritu sectario, vt decet philosophum longe alieno, qui eum proscibendum esse ex ciuitate erudita prudenter statuit †. Plurimum tamen philosophiae Leibnizianae detulit, eamque et doctissimis lucubrationibus suam fecit, vir celeberrimus MICHAEL GOTTLIEB HANSCHIVS. Qui cum Leibnizio innotuisset, eiusque amicitia atque commercio literario vt coepisset, occasione hac fauentissima vsus est, vt per literas de viri illustris mente accurate edoceret. Cuius rei exempla exhibent epistolae Leibnizii ad laudatum virum exaratae, quas vulgavit KORTHOLTVS ‡. Ita de vera Leibnizii mente rite eruditus lucem metaphysicae Leibnizianae accendere aggressus est, et fatis erepto Leibnizio plura de ea commentari coepit. Enata inde anno 1702 *Meditatio philosophica de Vnione mentis et corporis secundum principia G. G. Leibnizii*; tum *Theoremata metaphysica ex philosophia Leibniziana selecta, de Proprietatibus quibusdam entis infiniti et finiti, mundiue existentis perfectione, methodo geometrica demonstrata* §; tandemque G. G. Leibnizii *Principia philosophiae more geometrico demonstrata, cum excerptis ex epistolis philosophi et scholiis quibusdam ex historia philosophica, vulgata anno 1708* ¶. Quo libro vtilem et iucundam operam vir acutus philosophiae Leibnizianae cultoribus, eiusque historiam perquirentibus praestitit, cum non tantum ratiocinationum neruum ostenderit, sed plura quoque ex scriptis et epistolis Leibnizianis addiderit, quae obscurius dicta illustrarent, interdum quoque parallelismum veteris philosophiae, quam haud raro in partes vocauit Leibnizius, adduxerit. Vnde introductionis loco in metaphysicam Leibnizianam adhiberi potest. Maiorem autem fortunam, ast miris vicissitudinibus expositam experta est philosophia Leibniziana, ex quo illustris Halensium philosophus CHRISTIANVS WOLFIVS, cui cum viuo Leibnizio amicitia interceserat, non modo methodo philosophandi Leibniziana sed hypothesebus quoque ab eo excogitatis vsus est. Quamuis enim integrum philosophiae systema condere Leibnizius nunquam

x) Diximus de ea re plura in Elogio illustris viri Ioannis Bernoullii, Dec. II. Pinacoth. scriptorum illustrium, quae, si ita videretur, consuli possunt.

z) Vid. Epp. Vol. III. p. 97.

a) Vol. III. p. 64. seqq.

b) Aug. Vind. 1728. suffixa est meditatio philosophica.

c) Lips. et Francof. 4. inscripta sunt Eugenio principi Sabaudiae.



quam in animo habuerit, contentus harmoniam mundi ex principiis quibusdam metaphysicis deduxisse, vnde nouum philosophiae systema formanti Wolfio necesse fuit, ipsum opus, affectum magis, quam confectum a Leibnizio aggredi, et sibi peculiare philosophiae genus effingere, quod per omnes philosophiae partes eundo, iustum daret rerum omnium, quae sub hominis scientiam cadere possunt, corpus: negari tamen non potest, hypotheses Leibnizianas non quidem omnes, plerasque tamen eum in philosophiam suam recepisse, et seriei meditationum suarum, suo quamlibet loco, inseruisse, methodo mathematicis familiari eas demonstratum iuisse, et nouo lumine collustrasse. Id quod metaphysicam eius cum Leibnizianis philosophematis comparanti erit manifestissimum <sup>d</sup>. Non id ita intelligi volumus, vt sectam aliquam Leibnizianam propagasse virum celeberrimum dicamus: id enim affirmari eo minus potest, quominus ipse Leibnizius de secta vnquam cogitauit, contentus semina quaedam philosophiae, qualem sibi conceperat, sparsisse, ex quibus, si ingenium accedat solers et intelligens, iusti systematis messis exurgere possit. Praeterea vir magnus de rationali philosophia pauca dixit, physicas hypothesen senex ipse abiecit in morali philosophia fere nihil reliquit, quod ad integrum philosophiae corpus pertineat. Vnde factum, vt, cum celeberrimus Wolfius nouam sibi philosophiae faciem efformaret, electis iis, quae apud philosophos, maxime veteres <sup>e</sup> itemque Scholasticos <sup>f</sup> veritatis notam sustinere videbantur, ex principiis vniuersalibus cohaerens aliquod doctrinae aedificium, rationalem, metaphysicam, naturalem et moralem philosophiae partem complexum extrueret. Qua ratione inter eclecticos philosophos omnino haud infimus ei locus debetur, cum cogitandi sentiendique et hinc eligendi libertatem recte sibi vindicauerit <sup>g</sup>. Sunt etiam inter eius decreta nonnulla, quae a Leibnizianis placitis dissentiunt, testemque habemus ipsum Leibnizium, in epistola ad Remondum scribentem <sup>h</sup>: *Wolfium placitorum suorum quaedam recepisse, pauca autem se de philosophia cum eo communicasse, nec decretorum suorum alia illum cognouisse, quam quae literis vulgata sint. Vidisse se nonnulla a iuuenibus eo moderante scripta, in quibus multa bona insint; deprehendantur autem nonnulla, in quibus dissentiat.* Quare omnino ipse vir illustris audiendus est, testans <sup>i</sup>, parum sibi id curae esse, vtrum philosophemata sua cum Leibnizianis conspirent, nam se ea tantum ex illius metaphysica recepisse, quae concordare cum conceptibus suis deprehenderit. Nec suam, quam tanto viro deberi credat, venerationem coecam esse et adorandam.

d) Ideo Leibnizianam philosophiam inter fontes Wolfianae doctrinae refert Cl. LVDOVICVS in Hist. phil. Wolf. c. 9. §. 136. P. I. p. 123.

e) Vid. Praef. Metaphysicae Germanicae.

f) Conf. LVDOV. A. C.

g) Vid. eius Relatio de scriptis propriis, c. 4. p. 123. c. 5. p. 155.

h) T. II. Recueil p. 162. conf. BULFINGERE de Harmonia praestabilita §. 155. not. g. p. 136.

i) In Monito de sua philosophandi ratione Aft. Erud. 1728. Dec. art. 7.



adorantis obsequium, sed ea se tantum admittere, quae cum systemate suo salua veritate cohaereant etc. Et hoc quidem sensu virum celeberrimum inter sectatores Leibnizii referendum non esse, quilibet aequus arbiter facile concefferit. Ast eo ipso fatente pleraque tamen, etsi non omnia, quae in logicis et metaphysicis Leibnizius dixit, sua fecit <sup>k</sup>, suoque systemati apte innexa atque accommodata seruauit, clariorem iis lucem affudit, effecitque, vt in disceptationem deducto ipsius systemate philosophico, totus fere orbis philosophicus de philosophia Leibnizio-Wolfiana disputaret: inuitis, quod de tantis veritatis sectatoribus recte credimus, ipsis eius auctoribus, quos sectae studium, philosophum indecens et libertati philosophandi inimicum non fouisse, nec fouere voluisse, merito credimus. Certe id in historia Leibnizianae philosophiae negligendum non est, factum esse illustrem Wolfium, meditationes Leibnizianas, *de Cognitione, veritate et ideis* etc. sibi de intellectus humani viribus et facultatibus sollicito plurimam lucem praetulisse; duxisseque ipsum fundamenta semel posita, naturali filo ad hypotheses Leibnizianas <sup>l</sup>, maxime de harmonia praestabilita. Id quod principia philosophiae Leibnizianae et Theodiceae cum Metaphysica Wolfiana comparanti erit manifestum, in qua principia cognoscendi, nempe rationis sufficientis et indiscernibilium, notiones loci, motus, vacui, temporis, definitiones DEI, animae, eiusque commercii cum corpore, monadum atque elementorum mundi; leges motus et similia cum Leibnizianis mire conspirant, arctoque nexu cohaerent. Quae tamen cum integrum philosophiae Leibnizianae corpus non efficiant, singularem tractationem celeberrimi viri merita in philosophia postulant, qui quod Leibnizius cogitauit tantum et tentauit, mira mentis sollertia et acumine perfecit, poliuit, auxit, nouasque meditationes exhibuit, ex quibus larga messis scriptorum enata est. Ast haec recensere omnia, licet maxime digna posteritatis memoria, fines nobis, vt tractationis modus esset, positi et intra demortuorum philosophorum limites conclusi non permittunt. Dedimus autem viri summi imaginem, vitaeque atque meritorum elogium et scriptorum indicem alibi <sup>m</sup>: plenis autem cyathis hauriendi copiam suppeditat Cl. LVDOVICVS <sup>n</sup>.

*Scripta Leibnizii.*

§. XXXIII. Diligentissimus quanquam fuit Leibnizius, et laboris patientissimus, magna tamen opera non edidit, si collectiones historicas excipiamus, nempe *Scriptores historiae Brunsvicensis* et *Codicem iuris gentium diplomaticum*, in quibus tamen describendis teste FELLERO <sup>o</sup>, aliorum cura atque opera, vfus est. Pleraque, quae vulgauit, dissertationes breuiores sunt, Ephemeridibus literariis insertae, aut tractationes epistolicae et schediafmata, qualia ea sunt, quae adolefcens et iuuenis edidit.

k) In Praef. Logicae Germanicae.

l) Praef. prima ad Metaphysicam Germ.

m) In Pinacotheca scriptorum nostra aetate illustrium Dec. I. quo loco imago quoque viri celeberrimi accurate efficta exhibetur.

n) In Hist. philos. Wolfianae Lipsiae 1737. 8. duabus partibus edita.

o) loc. cit.



editis. Horum autem omnium recensioem dare, opus non esse hoc loco censimus, cum potiora, maxime quae ad philosophiam nempe rationalem, metaphysicam, naturalem, moralem, politicam pertinent, in vitae eius historia iam indicauimus. Diligenter autem in hac opera praestanda versatus est Cl. LVDOVICVS <sup>r</sup>, qui scripta Leibnizii omnia typis impressa secundum temporis ordinem accurate enarrauit, et a singularium obseruationum, recensioem, epistolarum, dissertationum, tractationumque indicem cupientibus ipse euoluendus est. IDEM autem, vt curiositati lectoris faciat satis, de scriptis Leibnizii editis latentibus et affectis promissisque, integris quoque capitibus disseruit. Inter ea *Historia Brunsvicensis* est, cui meliorem vitae partem addidit, at affecta tantum et ad annum 1701 perducta, cuius causam in §. antecedente iam attulimus, nihil tamen in isto catalogo deprehendimus, quod philosophiam magnopere iuuet. Dolemus autem systema philosophiae primae, quod paulo ante mortem delineauit, missum ad Cel. Sebastianum Kortholtum Kilonium in via periisse <sup>s</sup>, cum dubium non sit, quin natuam faciem philosophiae suae ipse omnium verissime depinxerit. Meditatus etiam est scientiam de mente per geometricas demonstrationes, ad quam multa se mira obseruata habere, ad Ioannem Oldenburgium scripsit <sup>t</sup>, sed eam postea intermisit, quod fatum quoque habuit promissa ab eo noua dynamices scientia; itemque scientia infiniti, in qua viam analyticam demonstrare <sup>v</sup> cogitabat, calculum differentialem cum integrali plenissime expositurus. Immo non sine historiae philosophicae damno factum, vt quam *corpusculi κειμηλίων Φιλοσοφικῶν* titulo meditabatur, editionem opusculorum philosophicorum Ratramni, Campanellae, Valeriani Magni, Cartesii, quibus Suiffeti *Calculatorem* additurus erat <sup>u</sup>, perficere non potuerit. Tanta autem eruditione pollent, quae vir summus viuus in vulgus exire passus est, vt merito voluntas virorum doctissimorum laudanda sit, qui schedas eius passim, maxime in Ephemeridibus literariis dispersas colligere, et vno fasce comprehensas edere in animum induxerunt. Id quod primus suscepit Ioannes Georgius Eccardus, qui Leibnizio in condenda historia Brunsvicensi operam praestitit, quem scripta eius minora figillatim impressa vno volumine recudi curaturum esse, promiserunt *Acta eruditorum* et Fontenellius <sup>v</sup>. At intercedente rerum Eccardi conuersione discessuque ad academiam Herbipolensem, consilium illud euanuit. Idem postea factum voluere in se recepit V. C. Daniel Eberardus Baringius, qui scripta minora in diariis eruditis dispersa colligere, et annotationibus aucta edere promisit; sed et hic Ajax in spongiam incubuit. Tertius ad simile propositum accessit Cl. LVDOVICVS <sup>x</sup>, qui non

Ddd 2

edita

p) l. c. c. 7. Adiectus quoque scriptorum Leibnizianorum index Theodiceae versioni Germanicae, auctore Eccardo, et editioni Amstelodamensi a Neufuillano (Dn. de Neufville) editae, vterque accuratus satis haud est.

q) Vid. Anonymus ad Elog. Fontenellianum.

r) Extat ea epistola T. III, Opp. Ioannis Wallisii p. 620.

s) Conf. LVDOVIC. loc. cit. c. II. §. 39. p. 59. et quos laudat.

t) Epp. Vol. I. p. 255. conf. TELLER. l. c. p. 24.

v) loc. cit.

x) l. c. c. 5. §. 262. p. 290.



edita modo in Ephemeridibus, sed et singulatim vulgata et quae fere dispa-  
ruere, opuscula Leibnizii legenda iterum dare, factio initio ab opusculis  
metaphysicis et logicis, commentario illustratis constituit. Qui cum  
studio, quod in historia philosophiae Leibnizianae posuerat, et laboris pa-  
tientia spem lectorum mire excitauerit, optamus, vt, quae ipse nobis im-  
pedimenta sibi obiecta exponit, e via tandem tollantur. Certe cum nec  
eruditissimus Bourgetus, qui similes conatus susceperat, nec, cui lampadem  
ille tradidit illustris Iordanus, orbem philosophicum istis laboribus  
auxerint, omnino excitanda est eorum, quibus occasio simile quid susci-  
piendi fauet diligentia, vt omnem lapidem moueant, quo hac quoque in  
parte literae, quas tantopere promouit Leibnizius, iuuentur. Interim  
gratias agendas debet ciuitas erudita Cl. Kortholto, hanc iacturam elegantium  
epistolarum Leibnizianarum collectione, qui schediasmata nonnulla mino-  
ra, typis vulgata, quae ad philosophiam respiciunt, et historiam prudenter  
inferuit, ex parte facienti; qualem operam praestitisse quoque cel. DES  
MAIZEAUX, ex supra narratis constat.

*Historia lite-  
raria Theo-  
dicæ Leib-  
nizianæ.*

§. XXXIV. Diximus et attulimus ex immenso rerum ad historiam  
philosophicam et literariam Leibnizii pertinentium aceruo tantum, quan-  
tum institutum nostrum requirebat, et sufficere nos putamus, vt intelliga-  
tur, quid philosophia eclectica magno viro debeat. Transeuntibus iam  
ad decretorum philosophicorum Leibnizii enarrationem, in via *Theodi-  
cæ* occurrit, ex qua magnam partem de eius placitis decernendum. Qui  
liber cum ingenti orbis literarii plausu exceptus, ast non minus multas  
contradictiones passus sit, paucis eius historia separatim hic tradenda est.  
Summam enim eius exponere hoc loco non licet, consulendae autem sunt  
Ephemerides Lipsienses, in quibus interprete celeberrimo WOLFIO  
eruditissimi libri compendium eleganter enarratur. Constat autem prae-  
fatione, qua historiam enatae tractationis auctor exponit, quam supra  
quoque retulimus, tum dissertatione praeliminari de concordia rationis et  
fidei: quam sequitur ipsa tractatio P. Baylio opposita, cui bonitatem DEI  
ex necessitate mali ancipiti argumentorum pugna, telisque Manichaeorum  
aggredienti suas phalanges obiecit, a regina Borussiae ad eam pugnam ex-  
citatus. In hac vero scriptione et suam de mali origine sententiam ex-  
ponit, et Baylii obiectionibus respondit, et hunc potissimum nodo inex-  
tricabili enses admouet, vt elegisse Deum mundum ex multis possibilibus  
vnum eumque optimum, inque eo malum bono admixtum ita admisisse,  
vt cuncta sapientissima concordia tandem ad bonos fines perducantur, sta-  
tuat. Adiectae sunt meditationes in Hobbianam dissertationem *de Neces-  
sitate, libertate et fortuna*, et annotationes in GVIL. KINGII librum  
*de Origine mali*. Claudis elegantissimum librum *Causa DEI asserta  
per iustitiam eius, cum ceteris eius perfectionibus cunctisque actionibus*  
conci-



*concordata.* Dici non potest, quanto fulgore lectorum animos perfrinxerit tractationis elegantia atque nitor, sententiarum nouitas, eruditionis coaceruatae sed mira arte distributae pulchritudo, lectionis vastitas, obseruationum literariorum farrago, ipsaque dictio Gallica iucunditate et puritate commendabilis, quae omnia cumulauit, et diuitias suas profudit in isto opere Leibnizianum ingenium. Inde sequuta maxima eruditorum approbatio, qui licet in haud paucis Leibnizii mentem non assequerentur, disputationis tamen per amoenissima deuia lectorem detinentis iucunditate illecti nihil nisi quod suaue erat, deprehenderunt. Vnde non tantum Ephemeridum literariorum scriptores in eo libro laudando decertarunt <sup>z</sup>, sed meruit quoque calculum theologorum, Turretini <sup>a</sup>, Loescheri <sup>b</sup> aliorumque, quibus Io. Albertum Fabricium addere licet <sup>c</sup>. In Gallia autem, si *Nouorum literariorum Lipsiensium* <sup>d</sup> fide standum est, inuincibiles phalanges visae sunt, quas in aciem produxit Leibnizius. Primus vero, qui displicere sibi Leibnizianam de Origine mali sententiam professus est, fuit B. IO. FRANCISCVS BVDDEVS, quo praefide dissertatio <sup>e</sup> comparuit *de Origine mali contra recentiores quorundam hypotheses*. In qua tamen auctorem mentem suam recte non percepisse, male autem actionum moralitatem ex sola lege diuina deriuare, ad ipsum praefidem dissertationis scripsit Leibnizius <sup>f</sup>. Buddeum secutus est Ven. PFAFFIUS <sup>g</sup> cui nonnulla dicta de praesentia reali in S. coena minus probabantur, qui tamen et ipse rectius sensisse Leibnizium edoctus est. Ipse liber aduersarios publicos paucissimos reperit, Leibnizio uiuente, bis, et post eius mortem duabus iterum vicibus <sup>h</sup> typis repetitus. Latinam uero uersionem non nemo ex Iesuitarum societate Coloniae vulgavit, Germanicam edidisse LENTNERVS dicitur, cui elogium Fontenellii Leibnizianum accessisse in limine huius capituli diximus, adiecto indice scriptorum Leibnizianorum: emendauit, et totam fere refinxit cel. GEORGIVS FRID. RICHTERVS, meliorem Latinam quoque dedisse Tubingenses supra retulimus. Quamuis autem harmoniae praestabilitae aliaeque hypotheses aduersarios haud paucos expertae sint, nemo tamen integrum *Theodicaeae* opus refutare aggressus est, forte quod argumenti sublimitas et disputationis miro artificio per integram tractationem diffusae, molestia dissentientes deterreret. Mortuo autem Leibnizio acri censura librum hunc, multos per partes iugulasse supra iam narrauimus, ex quibus repetenda, quae historiae libri celeberrimi lucem accendere apta sunt.

§. XXXV. Enarrata Leibnizii historia literaria atque philosophica, restat, ut de eius placitis philosophicis more nostro ipso viro summo duce tractetur.

*Philosophia  
Leibnizii.*

Ddd 3

tracte-

z) Journal des sçavans 1713. p. 9. 123. Nouvelle de la rep. des lettres T. I. p. 237. 241. T. II. p. 162.

a) In Posit. theologicis.

b) In Praenotionibus theologicis.

c) Bibliograph. antiq. p. 239.

d) 1717. p. 374.

e) Extat quoque in eius Miscell. SS.

f) Vol. II. Epp. p. 169. et alibi.

g) In Fragm. Irenaei et diff. adi. §. 16.

h) Vid. Act. Erud. 1715. Aug. p. 376.



tractemus, exponamusque qua ratione philosophiam innouauerit. Monuimus autem in antecedentibus, integrum philosophiae systema Leibnizium non condidisse<sup>i</sup>, contentum, assertiones potiores ex principiis generalibus deduxisse, ex quibus iudicio satis instructo liceat integrum philosophiae excitare aedificium. Difficile ideo est, philosophiae Leibnizianae delineationem exhibere, cum nihil, quod integrum eius ambitum comprehendat, reliquerit. Maxime vero in logicis pauca quaedam ad naturam idearum pertinentia attulit, in physicis veteres hypothesas de motu in abstracto et concreto considerata abiecit, in morali doctrina paucissima nonnulla monita regulasque aliud agens dispersit. Vna metaphysica paulo meliori fortuna vsa, eius *Principiis Philosophiae*, siue monadologia aucta est, theologiam naturalem in *Causa DEI asserta*, non tamen totam explicuit, in *Theodicea* autem haec omnia sparsum attulit. Vnde operae pretium esset, ex scriptis viri summi philosophicis ea colligere, et ordine systematico exponere, quae illustri philosopho placuerit. Quod saxum neminem hactenus voluisse merito miramur. Nam eos, qui Wolfianas philosophiae institutiones pro Leibnizianis habent, falli in antecedentibus demonstrauius. Quae vero Cel. Hanschius exposuit supra memorata solam metaphysicam partem comprehendunt: nec ea, quae nos olim de placitis Leibnizianis adduximus<sup>k</sup>, plenam opinionum eius atque assertionum historiam explicant. Vnde merito optamus, vt, qui iustum philosophiae Leibnizianae syntagma ex scriptis celeberrimi philosophi congestum meditatatur, Cl. LVDVICVS<sup>l</sup>, laudatissimum institutum perficiendi occasionem et circumstantias fauentes nanciscatur. Nos quo minus hoc onus humeris nostris imponamus, ipsa instituti ratio prohibet, quae et istam prolixitatem refugit, et ipsa potissimum verba et philosophemata philosophorum celebrium, eo, quo ipsi proposuerunt, ordine, adducere postulat. Sequemur ergo methodum hactenus adhibitam, et quae de rationali philosophia in meditationibus *de Cognitione, ideis et veritate* disse-ruit Leibnizius, primo enarrabimus, hisque ipsa viri summi *Principia philosophica*, et quae in *Causa DEI* philosophatus est, subiungemus; speciminis moralis loco autem ex praefatione *Codicis iuris gentium* ea explicabimus, quibus doctrinae moralis aedificium inaedificandum esse statuebat. Addeamus autem *ὡς ἐπιτάξιον*, quae passim monuerunt viri docti, vt hoc pacto aliquam, si non plenam, philosophiae Leibnizianae nanciscamur notitiam.

Logicae meditationes Leibnizii.

§. XXXVI. Meditationes rationales Leibnizii hae sunt:

I. Cognitio est vel obscura vel clara, et clara rursus vel confusa vel distincta,

i) Diserte id testatur Leibnizius in Ep. ad Remondum Recueil T. II. p. 161. Verum est Theodiceam meam non sufficere ad exhibendum integrum systematis mei aedificium; non tamen multa deerunt, si iungantur ea, quae in Ephemeridi-

bus literariis, Lipsiensi, Parisiensi, P. Baylii et Basnagii dixi, saltem, quoad principia.

k) In Germanic. Hist. phil. opere T. VII. p. 460, seqq. Conf. LVD. I. c. cult. §. 621, p. 425.

l) I. c. P. I. c. 1, §. 2.



distincta, et distincta vel inadaequata vel adaequata, item vel symbolica vel intuitiva, et quidem si simul adaequata et intuitiva sit, perfectissima est.

II. Obscura est notio, quae non sufficit ad rem repraesentatam agnoscendam.

III. Clara cognitio est, cum habeo unde rem repraesentatam agnoscere possim, eaque rursus est vel confusa vel distincta.

IV. Confusa est, cum non possum notas ad rem ab aliis discernendam sufficientes separatim enumerare, licet res illa tales notas atque requisita reuera habeat, in quae notio eius resolui possit.

V. Ita colores, odores, sapes aliaque peculiaria sensuum obiecta satis clare quidem agnoscimus, et a se inuicem discernimus, sed simplici sensuum testimonio, non vero notis enuntiabilibus: licet certum sit, notiones harum qualitatum compositas esse, et resolui posse, quippe cum causas suas habeant.

VI. Distincta notio est, quae fit per notas et examina sufficientia ad rem ab aliis omnibus corporibus similibus discernendam: tales habere solemus circa notiones pluribus sensibus communes, circa multos affectus animi, verbo circa omnia quorum habemus definitionem nominalem, quae nihil aliud est, quam enumeratio notarum sufficientium.

VII. Datur tamen et cognitio distincta notionis indefinibilis, quando ea est primitiva, siue nota sui ipsius, hoc est, cum est irrefolubilis ac non nisi per se intelligitur, atque adeo caret requisitis.

VIII. In notionibus autem compositis, quae rursus notae singulae componentes interdum clare quidem, sed tamen confuse cognitae sunt, hinc talis cognitio licet distincta sit, inadaequata est tamen.

IX. Cum vero id omne quod notitiam distinctam ingreditur, rursus distincte cognitum est, seu cum analysis ad finem usque producta habetur, cognitio est adaequata. Discedit in his notionum idearum definitionibus et distinctionibus a Cartesianis et Lockio Leibnizius, cuius ad illius librum de intellectu humano observationes <sup>m</sup> heic merentur conferri.

X. Plerumque non totam simul naturam rei intuemur, sed rerum loco signis utimur, quorum explicationem in praesenti aliqua cogitatione compendii causa solemus praetermittere, scientes aut credentes, nos eam habere in potestate; talis vocari potest cogitatio coeca vel symbolica.

XI. Cum notio valde composita est, non possumus omnes ingredientes eam notiones simul cogitare.

XII. Vbi tamen hoc licet, vel saltem quantum licet cognitio oritur intuitiva.

XIII. Notionis distinctae primitivae non alia datur cognitio, quam intuitiva, ut compositarum plerumque cogitatio non nisi symbolica est.

XIV. Eo-

m) Dicitur de iis supra. Extant Recueil T. II. p. 143. seq. et Vol. IV. Epp. p. 509. seqq.



XIV. Eorum, quae distincte cognoscimus, ideas non percipimus, nisi quatenus cogitatione intuitiva utimur. Et sane contingit, ut nos saepe falso credamus habere in animo ideas rerum, cum falso supponimus aliquos terminos, quibus utimur, iam a nobis fuisse explicatos.

XV. Saepe vocabula utcumque intelligimus, aut nos antea intellexisse meminimus, quia tamen hac cogitatione coeca contenti sumus, et resolutionem notionum non satis prosequimur, fit ut lateat nos contradictio, quam forte notio composita inuoluit.

XVI. Ex his fluit discrimen inter definitionem nominalem et realem. Definitio nominalis est, quae notas tantum rei ab aliis discernendae continet; realis, ex qua constat rem esse possibilem. Est itaque definitionis realitas non arbitraria, quod volebat Hobbius, nec quaelibet notiones inter se possunt coniungi.

XVII. Definitiones nominales non sufficiunt ad perfectam scientiam, nisi quando aliunde constat, rem definitam esse possibilem.

XVIII. Idea vera est, cum notio est possibilis, falsa cum contradictionem inuoluit.

XIX. Possibilitatem rei vel a priori cognoscimus vel a posteriori.

XX. A priori possibilitatem cognoscimus, cum notionem resolvimus in sua requisita, seu in alias notiones cognitae possibilitatis, nihilque in illis incompatible esse scimus.

XXI. Fit id inter alia, cum intelligimus modum, quo res possit produci: unde prae ceteris utiles sunt definitiones causales.

XXII. A posteriori possibilitatem cognoscimus, cum rem actu existere experimur, quod enim actu existit vel extitit, id utique possibile est.

XXIII. Quandocumque habetur cognitio adaequata, habetur et cognitio possibilitatis a priori; perducta enim analysi ad finem, si nulla apparet contradictio, utique notio possibilis est.

XXIV. Cauendum ne quis abutatur iactato principio: quicquid clare et distincte de re aliqua percipio, id est verum, seu de ea enuntiabile. Saepe enim clara et distincta videntur hominibus temere iudicantibus, quae obscura et confusa sunt. Inutile igitur axioma est, nisi adducta clari et distincti criteria adhibeantur, et nisi constet de veritate idearum.

XXV. Non contemnenda veritatis enuntiationum criteria sunt regulae communis logicae, quibus et geometrae utuntur, ut scilicet nihil admittatur pro certo; nisi accurata experientia vel firma demonstratione probatum.

XXVI. Firma autem demonstratio est, quae praescriptam a logica formam seruat; non quasi semper ordinatis scholarum more syllogismis opus sit, sed ita saltem, ut argumentatio concludat vi formae.

XXVII. Itaque nec praetermittenda est aliqua praemissa necessaria, et omnes praetermissae iam ante vel demonstratae esse debent, vel saltem instar hypotheseos assumtae, quo casu et conclusio hypothetica est.

XXVIII.



XXVIII. Commendanda ideo est ingeniosissimi Pascalii regula, definiendos esse omnes terminos parumper obscuros, et comprobandas omnes veritates parumper dubias. Quod quomodo faciendum sit, ex attentaeorum, quae dicta sunt, consideratione constare potest.

XXIX. Omnia nos videre in Deo, vetus est sententia, et si sano sensu intelligatur, non omnino spernenda.

XXX. Etsi omnia in Deo videremus, necesse tamen esset, ut habeamus ideas proprias, id est non quasi icunculas quasdam, sed affectiones siue modificationes mentis nostrae, respondentes ad id ipsum, quod in Deo perciperemus.

XXXI. Vtique aliis atque aliis cogitationibus subeuntibus aliqua in mente nostra mutatio fit: rerum vero actu non cogitarum ideae sunt in mente nostra, ut figura Herculis in rudi marmore.

XXXII. At in Deo non tantum necesse est actu esse ideam extensionis absolutae atque infinitae, sed et cuiusque figurae, quae nihil aliud est quam extensionis absolutae modificatio. Tangunt haec controuersiam Mallebranchii de origine idearum, cuius infra historiam enarrabimus. Pluribus id agit, notionesque Cartesianas Mallebranchii suis vel emendare vel refellere contendit in examine principiorum Mallebranchii, quod cum his comparandum est. Multa enim eo loco habet, quae dicta illustrent et amplificent.

XXXIII. Cum colores aut odores percipimus, utique nullam aliam habemus, quam figurarum et motuum, perceptionem, sed tam multiplicium et exiguorum, ut mens nostra singulis distincte considerandis in hoc praesenti suo statu non sufficiat, et proinde non animaduertat perceptionem suam ex solis figurarum et motuum minutissimorum perceptionibus compositam esse. Haec de ideis Leibnizius, qui principia ratiocinationis et cognitionis quoque in monadologia tetigit. Hanc itaque, quam principia philosophiae exhibere Leibnizius contendit, iam porro audiemus, mittemus autem in compendium, et, quae probandae assertio- nis causa attulit, more nostro omitemus, cum ea scire desiderantibus principia haec philosophiae ubique inuenire liceat.

§. XXXVII. Ita vero de elementis rerum, et quae illa consequuntur, *Metaphysica Leibnizii.* Leibnizius statuit:

I. Monas non est, nisi substantia simplex, quae in composita ingreditur. Simplex dicitur quia partibus caret.

II. Ne-

n) Recueil T. II. p. 218. seqq.

o) Prima monadologiae semina sparsit LEIBNIZIUS in Theodicea, sed pleniora dedit lingua Gallica in Europa erudita. Latine comparuere in A. E. T. VII. Suppl. S. XI. p. 500. seqq. Recusa dedit cum annotationibus Cl. CRELLINGIUS,

geometrice demonstravit HANSCHIVS ut supra dictum. Historiam autem quomodo ad hanc hypothesin delatus sit, ipse recitat LEIBNIZIUS in Ep. ad Remondum Recueil T. II. p. 133 vbi ad Platonis, Academiae mediae et Scepticorum consensum prouocat.



II. Neceſſe autem eſt, dari ſubſtantias ſimplices, quia dantur compoſita, neque enim compoſitum eſt, niſi aggregatum ſimplicium. Primam fere rationem, cur ad monadas rerum omnium principia atque elementa retulerit Leibnizius, iſtis theſibus aſſert, nempe quia compoſita, neceſſe eſt, conſtare ex partibus ſimplicibus, ex quibus aggregatis omnia compoſita exſurgunt. Sine his enim principiis ſimplicibus nihil reale in eſſe rebus compoſitis ſtatuit. Hinc ſubſtantias ſimplices, ex quarum aggregato corporeae maſſae exſurgunt, neceſſario admittendas eſſe contendit, ſine quibus, velut veris elementis res eſſe nequeant <sup>p</sup>. Reliqua enim, quae in natura occurrunt, ſola eſſe phaenomena, quae inde reſultent, concludit. Haec elementa naturae monades appellare iuſſit virum inſigniter doctum et natura rei et veterum auctoritas. Quemadmodum enim monas, id eſt, vnitas, fons eſt et origo numeri, omnemque vim et poteſtatem eius complectitur, qui nihil aliud eſt niſi aggregatum vnitatum; ita et elementa iſta atque principia prima et ſimpliciſſima res omnes, quae ex illorum aggregatione componuntur, conſtituunt. Notum autem ex iis, quae *Tomo primo* de philoſophia Pythagorica diximus <sup>q</sup>, monadas in huius iam ſectae doctrina principia rerum abſoluiffe. Sunt quoque in monadibus Pythagorae complura, quae cum monadibus Leibnizianis conſpirant; nominis ratio, quae ἀπὸ τῆς μένεν fluit, qua idem ſignificat, quod ſubſtantiam, nempe rem, quae ſemper ſtet, et in eadem ratione maneat, itemque multitudini opponatur: origo rerum ex monadibus deriuata; admiffae monades velut vera elementa naturae, et principia rerum, et ſimilia. Aſt confuſas notiones ſaepe numero in deſcribendis monadibus ſequebantur Pythagorei, vnde ipſam quoque materiam monada vocare non dubitarunt, vt ſuo loco probatum <sup>r</sup>, non ſolas ſubſtantias intellectuales: immo totum quoque chaoticum monadis rationem habere, epitheta monadi tributa produnt. Quae omnia cum vnitatum, ſiue elementorum, naturae repugnent, recte a philoſopho reiecta ſunt: qui licet nonnulla ex monadologia Pythagorica accepiffet, vt tamen erat ingenio acutiſſimo, iſta voce tantum ad deſignanda rerum principia prima, ſimplicia atque elementa naturae vſus eſt. Conuenire autem monadas ſuas cum monadibus Pythagoricis, et ideis Platonis, quae coincidunt, ipſe vir illuſtris faſſus eſt, ſcribens ad Hanſchium <sup>s</sup>: *Pulcherrima ſunt multa Platonis dogmata, obiectum ſapientiae eſſe τὰ ὄντως ὄντα, ſubſtantias nempe ſimplices, quae a me monades appellantur, et ſemel exiſtentes ſemper perſtant* <sup>t</sup>. Verum et aliis veteris philoſophiae Graecae vocabulis ad has ſubſtantias ſimplices ſiue elementa rerum deſignanda Leibnizius vſus eſt. Vocat enim eas πρώτα δεκτικά τῆς ζωῆς <sup>u</sup>, quod primario

p) Vid. Ep. ad Bierlingium Vol. IV. p. 49. vbi monadologiam breui compendio enarrat.

q) p. 1049. ſeqq.

r) p. 1078.

s) Vol. III. Epp. p. 65.

t) Inter recentiores Iordanum Brunum monades in explicanda natura rerum adhibuiſſe, ex c. 1. huius partis conſtat. Feciſſe autem id ſenſu Leibniziano infra probabimus.

u) loc. cit.



rio vitam sensumque illis et actionis vim inesse contenderet. Sed et atomos vocavit, aut sensu a Democriti et Epicuri decretis valde diverso <sup>a</sup>. Atomos enim Democriteas et Epicureas principio rationis sufficientis contrarias esse arbitrabatur <sup>a</sup>; eo quod duritiem naturalem et primitivam, quae ipsis inest, supponant, cuius sufficientis ratio dari nequeat. Unde eas quoque ab Hartsoeckero assertas reiecit <sup>a</sup>. Monades itaque atomos vocando, non atomos molis intelligendas esse monet <sup>b</sup>, sed substantiae, id est unitates reales, et partibus, quibus atomi Epicuri non carent, destitutas, quae fontes existant actionum, sintque prima et absoluta principia ex quibus res componantur, et in quae velut ultima elementa substantiata resolvantur. Sed et punctis mathematicis assimilavit, puncta metaphysica appellans et formas substantiales dixit, quarum consistat natura in vi activa, perceptionis et appetitus particeps; qua ratione obscuram Aristotelis denominationem entelechia primae intelligendam esse, contendit: eiusque veram significationem se detexisse scripsit ad PELLISSONIVM <sup>c</sup>.

III. Vbi non dantur partes, ibi nec extensio, nec figura, nec divisibilitas locum habet. Atque monades istae sunt verae atomi naturae, et ut verbo dicam, elementa rerum.

IV. Neque etiam in iis metuenda est dissolutio, nec ullus concipi potest modus, quo substantia simplex naturaliter interire potest.

V. Ex eadem ratione non datur modus, quo substantia simplex naturaliter oriri potest, quoniam non aliter nisi per compositionem formari possit.

VI. Possunt itaque monades non oriri nisi in instanti, id est per creationem, nec finire, nisi per annihilationem.

VII. Nullo modo explicari potest, quomodo monas alterari aut in suo interiori mutari queat per creaturam quandam aliam. Neque enim substantia neque accidens in monadem quae partium mutationem non habet, forinsecus intrare potest.

VIII. Opus est tamen, ut monades habeant aliquas qualitates, alias nec entia forent.

IX. Immo opus est, ut monas quaelibet differat ab alia quacunque. Neque enim unquam dantur in natura duo entia, quorum unum ex affe convenit cum altero, et ubi impossibile sit, quandam reperire differentiam internam aut in denominatione interna fundatam. Ratio quam affert, illustri philosophus, appellata ab eo est principium identitatis indiscernibilium, quam et rationi esse conformem contendebat, et experientiam te-

E e e 2

item

<sup>a</sup>) Vid. Thef. III. HANSEN. Theor. VII. p. 69.

<sup>b</sup>) IDEM. l. c. putabat Leibnizius, etsi existentia atomi molis non esset contra divinam potentiam, fore tamen contra divinam sapientiam: non enim dari rationem sufficientem Deum de-

terminantem ad subdividendum hoc, non vero illud.

<sup>a</sup>) Vol. IV. Epp. p. 376. seqq.

<sup>b</sup>) Recueil. T. II. p. 365. seq. Journ. des Savans 1695. p. 453. seq.

<sup>c</sup>) p. III. 326.



stem habere affirmabat <sup>d</sup>, quamque neglectam fuisse vna cum principio rationis sufficientis dolebat, eo quod longe meliorem et saniozem metaphyficas faciem inducere videbat. Hoc potissimum principio vñus, atomorum molis inanitatem demonstrare aggressus est. Neque tamen nouum hoc axioma est, sed dudum, teste CICERONE <sup>e</sup> a Stoicis assertum: *Dicis, ita ille, nihil esse idem, quod sit aliud, Stoicum est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum.* Recentiori autem aetate IORDANVS BRVNVS, cuius plura cum monadologia Leibniziana conspirant, satis luculenter <sup>f</sup>: *Neque est possibile in specie vlla, duo omnino concordantia vel aequalia indiuidua comperire, duos, inquam hic, dies, circuitus, annos aequales atque similes non solum pro habitudine ad alia, sed vel etiam absolute potentia in physica referre.* Vnde inter theoremata de minimo hoc quoque assertum iuit: *Duas figuras vel lineas in materia omnino aequales offendere, vel bis eandem repetere impossibile esse.* Quod etiam valde subtiliter rationibus geometricis munit. Falluntur itaque <sup>g</sup>, qui hoc principium, si non tactum receptum tamen et demonstratum primo atque in philosophiae vñum translatum Leibnizio tribuunt. Cui tamen haec concedenda est gloria, quod primus fere ad demonstrandas veritates metaphyficas eo principio vñus sit. Vix autem axioma hoc Clarckio opposuerat Leibnizius, cum is contradictionem deprehendisse sibi videretur <sup>h</sup>, eo quod ipsi supponenti res duas inter se aequales, reuera duas esse, non eandem, id Leibnizius concesserit, et tamen contenderit, vnam rem fore duobus nominibus insignitam. Ad quae respondere Leibnizius morte praeventus non potuit, eius autem partes sustinuit Cl. THVMMIGIVS <sup>i</sup>: receperunt autem thesin post illustrem WOLFIVM <sup>k</sup>, et HANSCHIVM <sup>l</sup>, qui rationibus eam metaphyficis confirmavit, etiam alii, qui cetera Leibnizianam philosophiam non in omnibus probarunt. Vnde acute nuper cel. SAM. CHRISTIANVS HOLLMANNVS <sup>m</sup> monuit: *Etsi demonstrari nequeat, impossibile esse, plures res singulares ita in singulis suis determinationibus conuenire inter se posse, vt nulla amplius rei, quam solo numero, inter se differant; imprimis si a determinatione loci, seu spatii modique coëxistendi cum aliis rebus singularibus, vere existentibus hic abstrahatur: experientia tamen constare, adeo infinitam fere esse, rerum existentium, imprimis materialium et corporearum varietatem, vt ne duas quidem res singulares eiusdem speciei, deprehendere liceat, quarum determinationes omnes eodem modo vtrobique se habeant, et si vel maxime omnes eodem modo se habe-*

d) Recueil T. I. p. 50. 94. 95. 418. HANSCH. l. c. Theor. XIX. p. 80. BULFINGER, Dilucid. philos. p. 87.  
e) Qu. Acad. L. II.  
f) De Minimo p. 71.  
g) LVDVICVS l. c. c. 2. §. 460. p. 357.

h) l. c. p. 156.  
i) In Resp. ad Ep. V. Clarckii.  
k) Metaphys. germ. §. 587. p. 361.  
l) l. c. p. 81.  
m) Metaph. §. 255. T. I. Syst. phil. p. 845.



*re, vellemus supponere, vel solo tamen loco coëxistendique modo semper adhuc inter se differre. Duasque ergo pluresque res solo numero inter se differentes, non dari, neque si loci intuitu simul spectentur, dari posse. Idem a posteriori quoque et experientia duce probatum iuit cel. HAMBERGERVS". Sed redeundum in viam.*

X. Omne ens creatum est mutationi obnoxium, et consequenter etiam monas creata, estque in vnaquaque mutatio continua.

XI. Sequitur ex hæcenus dictis, mutationes naturales monadum a principio interno proficisci, propterea quod caussa externa in eius interiorius influere nequit. Et generaliter affirmare licet, vim non esse, nisi principium mutationum.

XII. Opus etiam est, vt præter principium mutationum detur quoddam schema eius, quod mutatur, quod efficit, vt ita dicam, specificationem ac varietatem substantiarum simplicium.

XIII. Inuoluere illud debet multitudinem in vnitatem aut simplicium. Omnis enim mutatio naturalis cum per gradus fiat, aliquid mutatur, et aliquid remanet, consequenter in substantia simplici datur quaedam pluralitas affectionum ac relationum, quamuis partibus careat.

XIV. Status transiens, qui inuoluit ac repræsentat multitudinem in vnitatem seu substantia simplici, non est, nisi istud quod perceptionem appellamus, quam probe distinguere debemus ab apperceptione seu conscientia. Nodus hic præcipuus est, quem insolubilem esse viri docti, non illi modo, qui Leibnizianam metaphysicam oppugnarunt, sed illi quoque, qui cetera illi subscripserunt, falsi sunt. Et Leibnizius quidem adeo huic asserto primario fidebat, vt Cartesianos reprehenderet, quod ex neglecta perceptione, cuius nobis non sumus conscii, solos spiritus esse monades, nec dari animas brutorum, nec alias entelechias crediderint, immo ingenia peruersa in opinione de mortalitate animarum confirmauerint. Cum autem perceptionem monadibus sine appetitu tribuere non posset, vt ex thesi sequenti constat, perceptionem autem per mechanicas rationes explicare impossibile esset, necessarium erat, eas dicere automata incorporea, quæ cum perceptionem et appetitum habent, animæ nomen sustinere possint, a quibus animæ brutorum hominumque ipsiusque DEI gradu tantum et perfectione, distent. Ast id incomprehensibile viris eruditissimis passim visum est, certe ipse illustris WOLFIVS, cum metaphysicam conderet, falsus est, dubitare se hæcenus, vtrum ista monadum perceptio admittenda sit, vnde sola elementa rerum simplicia, neglectis monadibus Leibnizianis sufficere putauit. Non excitabimus obiectiones virorum doctorum, quibus ob hoc

Eee 3

assertum

n) Elem. phys. §. 209.

o) §. 598. et P. II. p. 368. Idem faciunt Cl. KAHL & adu. Voltaerium p. 134. ENGEL

HARD in not. ad ANDALAE Disput. de Monadibus p. 15.



assertum monadum hypothesin presserunt <sup>p</sup>, tantam enim prolixitatem institutum nostrum non patitur, sed consuli eos iubemus, qui Leibnizii monades oppugnarunt, quorum allegandorum otium nobis fecit Cl. L V D O V I C I I industria <sup>r</sup>: id vnum notamus, visum fuisse illis, qui elementa rerum materialium simplicia concedunt <sup>r</sup>, confudisse virum summum in materiale cum simplici, adeoque perperam illius attributum huic tribuisse: cum non repugnet simplex esse, et tamen materiae, quae ex istis simplicibus componitur, affectiones habere. Ceterum ipse H A N S C H I V S <sup>s</sup>, qui tamen Leibnizianam monadum perceptionem demonstrare geometricè voluit, fassus est, viros harum rerum quam maxime intelligentes, et quorum industria hactenus in euoluendis principiis Leibnizianis summa cum laude versata sit, de huius theorematum veritate determinare non audere, licet concedant, esse in monadibus repraesentationem multitudinis externae: nec ipsis certum videri, vtrum repraesentatio haec in monadibus nudis inferat identitatem status illarum monadum cum statu animae nostrae in stupore, lethargo et profundo somno: et annon in monadibus nudis possit concipi vis perdurans, nec perceptiva tamen, cuius mutationes non inferant multitudinem partium, sed graduum et relationum externarum tantum, et tamen a perceptione proprie sic dicta, obscura etiam et cum nullo actu reflexo coniuncta, differant essentialiter?

XV. Actio principii interni, qua fit mutatio seu transitus ab vna perceptione ad alteram, appetitus appellari potest. Verum equidem est, quod appetitus non semper prorsus peruenire possit ad omnem perceptionem ad quam tendit, semper tamen aliquid eius obtinet, atque ad nouas perceptiones venit.

XVI. Negari tamen nequit perceptionem, et quod inde pendet, per rationes mechanicas explicari non posse, hoc est, per figuras et motum, quia partibus se mutuo impellentibus carent. Non itaque in substantia simplici reperietur aliud, hoc est, praeter perceptiones earumque mutationes in ea nihil datur. Atque in hoc consistere debent omnes actiones internae substantiarum simplicium.

XVII. Nomen entelechiaei imponi posset omnibus substantiis simplicibus seu monadibus creatis, habent enim in se certam quandam perfectionem,  $\alpha\delta\ \epsilon\upsilon\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\varsigma$ , datur quaedam in iis sufficientia,  $\alpha\upsilon\tau\acute{\alpha}\rho\kappa\eta\sigma\iota\varsigma$ , vi cuius actionum suarum internarum fontes sunt, quasi automata incorporea <sup>r</sup>.

XVIII.

p) Newtonianorum obiectiones explicat V O L T A I R E Comp. Met. Leibniz. et Newtonianae c. 7. Cartesianorum A N D A L A Diss. cit. Ant. Wolfianorum L A N G I V S in Idea analytica systematis metaphysici Wolfiani c. 1. p. 71. seqq. nulli sectae addictotum; W A C H T E R V S in Harmonia recentiorum philosophorum secum non concordante, c. 3. seqq. p. 14. seqq.

q) l. c. P. II. c. 23 §. 463. seqq. p. 359. seqq.

r) Vid. cel. H O L M A N N, Theol. nat. c. 1. §. 7. p. 65.

s) Theor. XXVII. p. 86.

t) Conf. Leibniziana p. 113. et Schediasma de Notione substantiae Act. Er. 1694. p. 110. 1695. p. 145. 1698. p. 427. vbi contra Sturmium disputat. Notionem hanc substantiae enertere aggressi sunt, quotquot monadologiam oppugnarunt, inaxime Cartesiani et Newtoniani, tum et Cl. C R O V S A Z I V S in Prael. de physicae orig. conf. Bibl. anc. et mod. T. XXIV. P. I. art. 10.



XVIII. Quod si animam appellare lubet, quicquid perceptionem et appetitum habet in sensu generali, omnes substantiae simplices aut monades creatae dici possent animae \*. Enimuero cum apperceptio aliquid amplius importet, quam simplicem quandam perceptionem: consultius est, vt nomen generale monadum et entelechiarum sufficiat substantiis simplicibus, quae simplici perceptione gaudent \*, et animae appellentur, quarum perceptio est magis distincta et cum memoria coniuncta.

XIX. In deliquio aut stupore, et somno profundo anima quoad sensum non differt a simplici monade, sed non caret tunc omni perceptione.

XX. Quando nempe ingens adest exiguarum perceptionum multitudo, vbi nihil distincti occurrit, mens stupet. Istiusmodi statum ad tempus animalibus mors conciliare valet.

XXI. Quemadmodum omnis praesens substantiae simplicis status naturaliter ex praecedente consequitur, ita vt praesens sit grauidus futuro;

XXII. Ita quoque cum euigilantes ab isto stupore perceptionum nostrarum conscii simus, necesse est, vt aliquas immediate ante habuerimus, quamuis earum conscii non fuerimus. Etenim perceptio naturaliter non oritur, nisi ex alia perceptione, quemadmodum motus naturaliter non oritur, nisi ex motu.

XXIII. Apparet inde, nos quando nihil distincti in nostris perceptionibus habemus, in perpetuo fore stupore. Atque is monadarum nudarum status est.

XXIV. Videmus etiam, naturam dedisse animantibus perceptiones sublimes, dum iis organa concessit, quae complures radios luminis, aut complures vndulationes aëris colligunt, vt per vnionem fiant efficaces. Simile quid in odore, sapore, et tactu etc. occurrit.

XXV. Memoria speciem consecutionis suppeditat animabus, quae rationem imitatur, sed ab ea distingui debet. Videmus ideo animantia, dum percipiunt obiectum, quod ipsa ferit, et cuius similem perceptionem antea habuere, per repraesentationem memoriae expectare, quod eidem in perceptione praecedente iungebatur, et ad sensationes ferri similes iis, quas tunc habuerant.

## XXVI.

n) Non noua haec est hypothesis, sed et Platonice nonnullis Cabbalistis omnibus familiaris, qui omnem substantiam esse spiritualem i. e. animam, materiam tantum phaenomenon putant. Conf. Cl. WACHTER. l. c. p. 19. seqq. vbi tamen materiam ex mente Platonis talem dici posse non comprehendimus.

x) Conferri meretur cum his assertionibus Leibnizianis systema Campanellae de sensu rerum, supra c. 5. enarratum. Legisse Campanellae libros Leibnizium ex Vol. I. opp. p. 139. 255. et Leibnizianis p. 162. constat, vtrum autem perceptionem mona-

dum a Campanella habuerit, dicere non habemus. Sufficiebat enim acutissimo viro harmonia regnorum DEI supposita, vt concluderet repraesentationem quandam mundi in monadibus esse necessariam, conf. Cl. KÄHLVS adu. Voltaireum c. 8. p. 135. Ceterum iucundum hoc loco erit obseruare, etiam GASSENDVM a perceptione rerum omnium asserenda non fuisse remotum. Quamuis enim humanam iis cognitionem recte denegari contendat, contendit tamen, propriam qua opera sua peragant, quae homo nec norit nec possit moliri illis denegari non posse. Phys. S. I. L. IV. c. 1. T. I. Opp. p. 286.



XXVI. Imaginatio fortis, quae ipsos ferit ac mouet, vel a magnitudine vel a multitudine perceptionum praecedentium proficiscitur. Interdum enim idem est impressio fortis, vno ictu factae, effectus, qui diurni habitus aut perceptionum mediocrium, saepius repetitarum.

XXVII. Homines bestiarum instar agunt, quatenus consecutiones perceptionum, quas habent, non nisi a principio memoriae pendent, et instar medicorum empiricorum, qui simplici praxi absque theoria vtuntur.

XXVIII. Enimvero cognitio veritatum necessariorum et aeternarum est id, quod nos ab animantibus simplicibus distinguit, et rationis atque scientiarum compotes reddit, dum nos ad cognitionem nostri atque DEI eleuat. Atque hoc est istud, quod in nobis anima rationalis siue spiritus appellatur <sup>1</sup>.

XXIX. Cognitioni veritatum necessariorum et earum abstractionibus acceptum referri debet, quod ad actus reflexos eleuati sumus, quorum vi istud cogitamus, quod Ego, appellatur, et hoc vel istud in nobis esse consideramus. Et inde etiam est, quod nosmet ipsos cogitantes de ente, de substantia cum simplici tum composita, de immateriali et ipso DEO cogitemus, dum concipimus, quod in nobis limitatum est, in ipso sine limitibus existere. Atque hi actus reflexi praecipua largiuntur obiecta rationum nostrorum.

XXX. Ratiocinia nostra duobus magnis principiis superstructa sunt. Vnum est principium contradictionis, vi cuius falsum iudicamus, quod contradictionem inuoluit, et verum, quod falso opponitur, vel contradicit.

XXXI. Alterum est principium rationis sufficientis, vi cuius confideramus, nullum factum reperiri posse verum, aut veram existere aliquam enuntiationem, nisi adfit ratio sufficiens, cur potius ita sit, quam aliter, quamuis rationes istae saepissime nobis incognitae esse queant. Celeberrimum hoc principium rationis sufficientis factum est in orbe philosophico, quam primum resuscitatum et quasi vita donatum ex ingenio Leibniziano prodiit. Quod non ignotum fuisse Sinensibus, qui ita virtutum praecepta naturae humanae inaedificauerint, vt ratio inde sufficiens earum constaret, contendit ill. WOLFIVS <sup>2</sup>. Nos certiori iure ad omnium gentium philosophorum, maxime Graecorum, principia philosophica prouocari posse putamus, quae axiomati huic inaedificata sunt, quaerendam omnium rerum rationem sufficientem, cur sint magis, quam non sint. Hoc enim axioma illud: ex nihilo nihil fit, progenuit, cum facile intel-

<sup>1</sup>) Etiam hae theses cum c. 20. et 21. CAMPANELLAE de Sensu rerum possunt comparari, at eas Campanellae assertiones olim reiecit LEIBNIZIVS vid. Diff. de Aristot. recentioribus concludibili §. 12. p. 139. Tunc negabat, dari ens, quod

neque extensionis neque cogitationis sic capax: agnoscebarque in formis substantialibus esse appetitum et instinctum secundum Aristotelicos.

<sup>2</sup>) In Or. de Philosophia Sinensium.



intelligerent, si nulla ratio fit, cur aliquid existat, nihil quoque fieri atque existere posse. Quod principium omnis aetatis gentisque philosophos tenuisse, alio loco indubitatis testimoniis probauimus <sup>a</sup>. Nec obstat, quod obiici posse videtur, eos omnia ad necessitatem quandam, contingentiae rerum oppositam, retulisse. Nam etsi hoc de plerisque, non tamen de omnibus, verum fit <sup>b</sup>, nihil tamen id probat aliud, quam homines hos hypotheseos amore seductos eiusmodi rationem sufficientem naturae rerum quaesivisse, quae reuera non datur, cum hoc ipso principio verissimo duce facile ad id potuissent peruenire, vt intellexissent, cum res omnes contingentes quae existunt, rationem sufficientem, cur sint, et ex statu possibilitatis in statum existentiae progressae sunt, in se non habeant, ideo quaerendam eam esse in alia, quae vltimam rationem extra seriem contingentium in se necessarium habeat, quo pacto systemati tum emanatio, tum dualistico, quae omnem gentilem philosophiam in praecipua egeret, nuncium misissent, et ad veram DEI notionem peruenissent. Vidit huius rei aliquid SENECA <sup>c</sup>, sed systematis Stoici ineptis delusus, et seriem contingentium non recte excutiens, male ad errorem transtulit. Postquam enim de causis rerum longam enarrationem ex mente veterum instituit, concludit: *Sed nos nunc primam et generalem causam quaerimus, haec simplex esse debet; nam et materia simplex est. Quaerimus, quid sit causa? ratio faciens, id est, Deus. Ita enim quae nunc retuli, non sunt multae et singulae causae, sed ex vna pendent, ex ea, quae fuit.* Confundere in tota hac de causis dissertatione Senecam rationem sufficientem cum causa <sup>d</sup>, manifestum; at ad illam potissimum respexisse, ex eo fati manifestum est, quod vnam causam Deum ponat, eo quod rationes rerum omnium intra se habeat. Ratio enim siue causa Stoicis est, propter quid aliud fit, cui effectum adiecerunt. Similia passim apud veteres deprehendi possent, si id ageremus <sup>e</sup>. Obseruatum autem ipsi Leibnizio Archimedes huic principio dogma de aequilibrio corporum inaedificasse. Tacemus recentiores alios, praecipue inter Scholasticos <sup>f</sup>, qui passim ex hoc principio ratiocinantur. Ab Euclide vero idem se didicisse fatetur IORDANVS BRVNVS <sup>g</sup>. Quibus ipse addendus CARTESIVS <sup>h</sup>. Non nouum

a) Amoenit. liter. T. VIII. p. 304. conf. cel. DE BEAUSOBRE Hist. Manich. P. II. L. V. c. 2. p. 166. seqq. et GASSENDVS Phys. S. I. L. III. c. 1. Opp. T. I. p. 231.

b) Aliter enim Epicurus, qui, licet sine ratione sufficienti, contingentiae atomorum concursum permittebat, secus ac factum a Democrito, qui necessitatem intrinsecam siue fatum agnoscebat.

c) Ep. 65.

d) Id omnes omnino veteres et recentiores plerique fecerunt, ipse LEIBNIZIVS in Diss. de Aristotele recentioribus reconciliabili, quae extrat quoque Epp. Vol. II. p. 121 seqq. aliquoties causam et rationem pro eodem habuit, vid. §. II. p. 136.

Hist. philos. Tom. V.

e) Passim axioma hoc occurrit apud CICERONEM de Diuin. L. II. de Fin. bon. L. I. et de Fato, quo loco, quando scribit, contra Epicurum disputans: „Rursus autem, ne omnes a physicis irridescant, si dicamus, quicquam fieri sine causa etc. apertum facit, totam veterum physiologiam huic principio fuisse innixam. Nemo autem fortius hoc argumentum vrsit, quam LVCRETIVS L. I. qui meretur consuli, his enim inhaerere hoc loco non licet.

f) Vid. Conimbric. T. II. p. 310.

ff) De Minimo p. 53.

g) In Resp. ad obiect. sec. Medit. primae p. 77. qui luculentus est.



nouum itaque principium est, nunquamue auditum, sed singulari tamen explicatione non excultum, quod, nisi fallimur, primus ad constituendas confirmandasque veritates metaphysicas Leibnizius adhibuit. Cum autem ratio sufficiens, cum causa necessaria facile confundi possit, hinc factum, vt axioma sensu recto egregium, contradictionem pateretur, quod vix e puluere protraxerat Leibnizius. Clarckius enim, cum libertatem indifferentiae ita tolli videret, hacque ratione in Deo quoque quandam necessitatem poni suspicaretur, infringere hoc principium, negare licet totum non auderet, constituit. Concedebat ille <sup>b</sup>, indubitatum quidem esse, nihil existere sine ratione sufficiente existentiae suae, nihilque existere hoc magis modo, quam alio, cuius ratio sufficiens non extet: Ast vrgebat, in rebus in se indifferentibus, simplicem nudamque voluntatem esse rationem sufficientem, vt existant, vel certam existendi determinationem modumque accipiant, neque hanc voluntatem opus habere, vt a causa aliena determinetur: id quod ex ordine particularum formati mundi probat, quem ex sola voluntate DEI pependisse statuit. Opposuit huic arieti principium identitatis indiscernibilium, Leibnizius <sup>i</sup>, et inductione vsus et ratione metaphysica, nempe quod duae res, quae discerni nequeant, eadem res sint duobus nominibus, ex quibus exemplum ab ordine mundi allatum a Clarckio impossibile figmentum esse conclusit. Quibus reposuit Clarckius <sup>k</sup>, res duas sibi perfecte similes non tamen desinere esse duas res; id quod spatii et temporis partibus aequalibus illustrat, quarum tamen momenta duo vnum non sint, nec sola duo nomina vnius momenti. Regessit ad haec quoque Leibnizius, fassus <sup>l</sup>, si duae res perfecte aequales, vt discerni nequeant, existerent, fore duas res; ast supponi falsum aliquod, et a rationis principio alienum, decipique aduersarium cum philosophis ex vulgo, qui solo numero res discerni posse credant, id est, quia numerum habeant, ex quo errore perplexa de principio indiuiduationis disputatio exorta sit. Malle autem temporis et loci partes inter se aequales huc afferri, obseruat, eo quod res ideales sint, quae in abstracto considerentur, quod in concreto aliter se habeat. Adeo vero claritate sua lucere rationis sufficientis principium putat illustris philosophus <sup>m</sup>, vt negari a nemine posse contendat, et probatione opus haud habere existimet, tantae autem necessitatis esse credat, vt sine eo neque Dei existentiam probare, neque demonstrare veritates alias maximi momenti liceat. Neque vero sic quieuit Clarckius, sed rem ab ovo, quod aiunt, exorsus <sup>n</sup>, exemplum aequilibrui reiecit, quod ad spiritum libere sponteque agentem applicari nequeat, quia instrumentum passiuum sit: contenditque negata libera voluntatis, virtute eligendi ex duobus bonis aequalibus, quodcunque voluerit, negari actionum humanarum principium, agendique virtutem et confundi cum motiuis eorumque impressione

h) Recueil T. I. p. 39.  
k) pag. 65.

i) pag. 55.

l) pag. 94. m) pag. 147.  
n) pag. 160. seqq.



sione in animum, qui circa ea passivè se habeat, et qualitas perceptiva sit, quam sequatur facultas agendi, id est se movendi, ex qua spontaneitas, et in agentibus rationalibus libertas oriatur. Et hinc omnem illum errorem profluere putat, quod principium actionis cum perceptione rationis commouentis confundatur, agensque liberum cum aequilibrio ponderis passivo misceatur. Contendit etiam, posse habere agens liberum rationes valde sufficientes, quo minus cesset agere, quamvis nullam rationem habeat determinandi, ut hoc vel illo modo agat. Et hinc omne argumentum Leibnizii petitionem principii esse declarat, eo quod exempla in contrarium allata ex hoc ipso principio refutet. Concedit autem Deum (de quo proprie disputabatur,) licet inter duas res absolute indifferentes et bonas aequaliter non aliam rationem determinantem quam suam voluntatem habeat, non carere tamen rationibus commouentibus, rationesque sufficientes, quibus Deus commotus ex duobus aequaliter bonis et indifferentibus vnum eligat, esse impulsivas ad eligendum. His Leibnizius morte praeventus respondere non potuit, patet autem ex ultimo ratiocinio, rem tandem ad verborum pugnam abiisse. Et haec quidem viuo Leibnizio disputata sunt; acriter vero et satis vehementer de veritate principii huius Logici et Mataphysici disputatum est, cum celeberrimus Wolfius illud inter veritates metaphysicae primarias referret <sup>o</sup>, ostensoque discrimine inter causam et rationem sufficientem, hoc axiomate in demonstrando, quod sibi conceperat, aedificio metaphysico vteretur. Ab eo enim tempore quisquis Wolfium sequutus est, pro hoc principio stetit, illud autem antagonista vehementer oppugnarunt, cuius vtriusque partis scripta cum adduxerit doctissimus LVDOVICVS <sup>p</sup>, ad eum lectorem remittere, quam longiore digressionem a scopo deducere, malimus. Addimus id vnum, metaphysicos antiquiores rationem sufficientem, quae a causa, rationem continente distingui solet, rationem simpliciter, vel etiam rationem causandi vocasse; placuisseque rationis sufficientis axioma, etiam aliis a Leibnizio satis libere discedentibus, cuius exemplum dabit Cl. HOLLMANNVS <sup>q</sup>, qui acute et perspicue rem exposuit, recteque post ipsum Leibnizium monuit, falli eos, qui putant, rationem sufficientem non adesse, quando interdum nulla a nobis cognoscitur.

XXXII. Quando veritas necessaria, ratio reperiri potest per analyfin, dum eam resoluimus in ideas et veritates simpliciores, donec ad primitivas perventum fuerit.

XXXIII. Dantur ideae simplices, quarum definitiones dare non licet: dantur etiam axiomata et postulata, aut verbo, principia primitiva, quae probari nequeunt, nec probatione indigent, atque ista sunt enuntiationes identicae.

Fff 2

XXXIV.

<sup>o</sup>) c. 2. §. 29. et T. II. p. 26. Metaph. Germ. qui etiam p. 29. ostendit, quo sensu eius axiomatis prima cultura tribui queat Leibnizio.

<sup>p</sup>) I. c. §. 433. seqq. p. 347. seq.

<sup>q</sup>) Metaphys. Part. I. cap. 4. §. 101. seqq. pag. 715. seqq.



XXXIV. Enim vero ratio sufficiens reperiri etiam debet in veritatibus contingentibus, vel facti, hoc est, in serie rerum, quae reperitur in vniuerso creaturarum, vbi resolutio in rationes particulares progredi possit in infinitum, propter immensam rerum naturalium varietatem et diuisionem corporum in infinitum.

XXXV. Quemadmodum tota haec series non nisi alia contingentia anteriora inuoluit, quorum vnumquodque simili analysi opus habet, vbi rationem reddere voluerimus, progressus nil iuuat, necesse est rationem sufficientem seu ultimam contingentium reperiri, quantumuis infinita ponatur.

XXXVI. Propterea quoque ratio ultima rerum in substantia quadam necessaria contineri debet, in qua series mutationum non nisi eminenter existat, tanquam in fonte suo.

XXXVII. Iam cum substantia ista sit ratio sufficiens omnis istius seriei, quae etiam prorsus connexa est; non nisi vnus datur Deus, atque hic Deus sufficit.

XXXVIII. Iudicare etiam licet, quod substantia ista suprema, quae est vnica, vniuersalis et necessaria, cum nihil extra se habeat, quod ab ea non dependeat, et simplex rerum possibilium series existat, limitum capax esse nequit, et omnem realitatem possibilem continere debet.

XXXIX. Vnde sequitur, Deum esse absolute perfectum, cum perfectio non sit, nisi magnitudo realitatis positivae, praecise sumpta, sepositis rerum limitationibus.

XL. Sequitur hinc etiam, creaturas habere perfectiones suas ab influxu DEI, sed imperfectiones a propria natura, essentiae sine limitibus incapaci. In eo enim a Deo distinguuntur.

XLI. Verum etiam est, in Deo non modo esse fontem existentiarum, verum etiam essentiarum, quatenus reales sunt, aut eius, quod in possibilitate reale est. Propterea intellectus Dei est regio veritatum aeternarum aut idearum, vnde dependent, et sine ipso nihil realitatis foret in possibilitatibus, et nihil non modo existeret, sed nihil etiam opus foret.

XLII. Etenim opus est, vt si quid realitatis in essentiis aut possibilitatibus, aut potius in veritatibus aeternis fuerit, haec realitas fundetur in aliqua re existente et actuali, et consequenter in existentia entis necessarii, in quo includit essentia existentiam, aut in quo sufficit esse possibile, vt sit actuale.

XLIII. Ita Deus solus, seu ens necessarium hoc privilegio gaudet, quod necessario existat, si possibilis est. Et quemadmodum nihil possibilitatem eius impedit, quod limitum expers, nec vllam negationem, consequenter nec contradictionem inuoluit, hoc vnum sufficit, ad cognoscendam existentiam Dei a priori. Nos eam quoque probauimus per realitatem



realitatem veritatum aeternarum. Emendauisse hac ratione Leibnizium argumentum Cartesii ab idea Dei pro eius existentia petitem supra in eius vita diximus. Saepius hanc demonstrationem DEI a priori repetiit Leibnizius <sup>r</sup>.

XLIV. Enim vero eandem iam probabimus a posteriori, quia scilicet res contingentes existunt, quae rationem vltimam, seu sufficientem habere nequeunt, nisi in ente necessario, quod rationem existentiae suae in se ipso habet.

XLV. Nihilominus tamen cum nonnullis nobis imaginari non debemus, veritates aeternas, cum a Deo dependeant, arbitriarias esse, et a voluntate ipsius pendere, quemadmodum Cartesius et postea Poiretus statuit. Id verum non est, nisi de veritatibus contingentibus, cum e contrario necessariae dependeant ab intellectu eius et sint obiectum eius internum. Diximus de hoc dogmate Cartesii suo loco. Probe autem attendendum est ad verba Cartesii, et integram eius hypothesin, affirmationem atque negationem ad voluntatem referentem, quando ita pronuntiat <sup>s</sup>: *Quantum ad veritates aeternas, dico iterum, illas tantum esse veras aut possibiles, quia Deus illas veras et possibiles cognoscit, non autem contra veras a Deo cognosci, quasi independentes ab illo sint verae.* Ast urgebat contra haec Leibnizius, possibilia praesupponi, si electionis libertas in rebus producendis asserenda sit, cum electionis nulla ratio sit, vbi vnum tantum possibile fit <sup>t</sup>. Ex quo condebat, male ad Dei voluntatem in quaestione de possibili et necessario recurri <sup>r</sup>.

XLVI. Deus solus est vnitas primitiua seu substantia simplex, originalia, cuius productiones sint omnes monades creatae aut deriuatiuae et nascuntur, vt ita loquar, per continuas diuinitatis fulgurationes per receptiuitatem creaturae limitatas, cui essentiale est, esse limitatum. Primum hoc existentiae et naturae rerum contingentium atque finitarum fundamentum est, quod viro summo ponere placuit, vt et omnium rerum existentiam a Dei voluntate dependere ostenderet, et accepisse essentiam atque naturam ex ideis in intellectu diuino praesentibus doceret. Id quod a Platone eum mutuam accepisse, licet emendatum et sensu magis philosophico pronuntiatum, nec ipse negat <sup>v</sup>, nec inficias iuerit, quisquis Platonismi paulo est peritior. Ast, vt verum fateamur, vellemus, vt distinctius clariusque vir illustris in assertione hac loqui, quam incerta et ambigua loquutione veterum errores, a quibus eum alienum fuisse facillime nobis persuaderi patimur, palliare voluisse videri maluisset. Ipsa enim haec assertio idem prorsus, si verba spectes, dicit, quod systema emanati-

F f f 3

uum

<sup>r</sup>) Vid. Med. de veritate et ideis A. E. 1684.

<sup>s</sup>) P. I. princ. phil. §. 33. 34. P. 9.

<sup>t</sup>) Theodicee §. 235.

<sup>v</sup>) Conferendus autem ipse POIRETUS Cogitation. L. II. c. 10. §. 5.

<sup>v</sup>) In Epist. ad Hanschium l. c.



uum Alexandrinorum, Cabbalistarum, et quicumque ex orientali et Platonica schola prodierunt, inculcat, ex Deo substantia prima per fulgurationes diuini luminis produsse, id est emanasse res omnes, et naturam suam limitationis carceribus circumscriptam ex ideis in intellectu diuino latentibus, et in diuina natura necessario existentibus, sed voluntate DEI, vt extra ipsum existerent, productis, accepisse. Quo pacto res omnes ratione existentiae quidem sola DEI voluntate fuisse productas non negarunt, et, quod Hierocles \* monuit, ex materia non praeiacente sola voluntate DEI fuisse formatas asseruerunt: ast ipsam tamen essentiam rerum, ex DEI essentia velut subiecto et fonte suo fluxisse, adeoque non nisi limitatione et emanationis ordine a Deo differre statuerunt. Quem deismi vel pantheismi errorem Leibnizio affricare eo magis iniquum putamus, quo magis is rerum essentias in possibilitate posuit, quae obiectiue tantum in Deo sunt, nempe considerato intellectu diuino, qui circa eas versatur, quae ad emanationem non sufficiunt. Sed paulo distinctius pronuntiandum, et asserta ab hac *Ψευδελγησις* munienda erant. Vnde prudentius et circumspectius definiuit b. VIII. Causae Dei: *Aetualia dependent a Deo, tum in existendo, tum in agendo, nec tantum ab intellectu eius, sed etiam a voluntate. Et quidem in existendo, dum omnes res a Deo libere sunt creatae, atque etiam a Deo conseruantur; neque male docetur, conseruationem diuinam esse continuatam creationem, vt radius continue a sole prodit: ETSI CREATVRAE NEQVE EX DEI ESSENTIA, NEQVE NECESSARIO PROMANENT.* Ex his itaque thesis allata intelligenda et secundum rectos sensus explicanda est.

XLVII. Datur in Deo potentia, quae est fons omnium, deinde cognitio, quae continet idearum schema, et tandem voluntas, quae mutationes efficit, seu productionem secundum principium melioris.

XLVIII. Atque hoc est istud, quod respondet ei, quod in monadibus creatis facit subiectum seu basin facultatis perceptiuae et appetitiuae. Sed in Deo haec attributa sunt absolute infinita, aut perfecta, in monadibus creatis non sunt, nisi limitationes, pro mensura perfectionis, quam habent.

XLIX. Creatura dicitur agere extra se, quatenus habet perfectionem, et pati ab alia, quatenus est imperfecta. Ita monadi actionem tribuimus, quatenus habet perceptiones distinctas, et passiones quatenus confusas habet.

L. Et vna creatura perfectior est altera in eo, quod reperiamus in ea, quod inferuit rationi reddendae in eo, quod in altera contingit, et propterea dicimus, quod in alteram agat.

LI. Sed

\* De Fato apud ΠΡΟΤΙΜ eod. 241.



LI. Sed in substantiis simplicibus influxus vnus monadis in alteram tantum idealis est, qui effectum fortiri nequit, nisi Deo interueniente, quatenus in ideis Dei vna monas cum ratione postulat, vt Deus ordinans ceteras, in principio rerum ipsius rationem habeat. Quoniam enim monas vna physice influere nequit in interius alterius; aliud non datur medium, per quod vna ab altera dependere valeat.

LII. Atque ideo actiones et passiones creaturarum mutuae sunt. Deus enim duas substantias simplices inter se comparans, in vna qualibet rationes deprehendit, quibus obligatur vnā aptare alteri, et consequenter id, quod actiuum est, quatenus certo respectu passiuum secundum alium considerandi modum, actiuum nempe, quatenus id, quod distincte in eo cognoscitur, inseruit rationi reddendae de eo, quod in alia contingit, et passiuum, quatenus ratio de eo, quod in ipsa contingit, reperitur in eo, quod distincte cognoscitur in altera.

LIII. Quemadmodum vero infinita sunt vniuersa possibilia in ideis Dei, et eorum non nisi vnicum existere potest: ita necesse est, dari rationem sufficientem electionis diuinae, quae Deum ad vnum potius, quam ad alterum determinat.

LIV. Atque haec reperiri nequit, nisi in gradibus perfectionis, quam huius mundi continent, cum quoduis possibile habeat ius praetendendi existentiam pro ratione perfectionis, quam inuoluit.

LV. Atque id ipsum causa est existentiae melioris, quod Deus vi sapientiae cognoscit, vi bonitatis eligit, vi potentiae producit. Est haec principium et fundamentum celeberrimae illius assertionis de optimo mundo a Deo electo, quae sectatoribus Leibnizii pulcherrimus eius foetus visus est, immo nonnullis quoque, quibus tamen incerta thesis creditur, talis tamen iudicatur, quae omnium pulcherrime DEVM extollat: aut quam eius aduersarii necessitatem quandam inuitabilem et libertati ac perfectioni diuinae inimicam inuoluere conuesti sunt: quo nomine Optimismum hunc, quem vocant Triuoltiensis velut Deismo vicinum condemnauisse, supra annotauimus. De quo tamen infra commode magis loco dicemus.

LVI. Huic adaptationi rerum omnium creatarum ad vnāquamque, et vnus cuiusque ad ceteras omnes tribuendum, quod quaelibet substantia simplex habeat respectus, quibus exprimuntur ceterae omnes, et per consequens speculum viuū perpetuum vniuersi sit. Etiam haec ex *vnglais de Deus* Leibnizii est, in recentissimi temporis controuersis valde agitata, eo quod idealistis fauere vir summus videretur. Quod vtrum ita se habeat, hic definiendi locus haud est, qui non controuersias, sed historiam scribimus. Cuius gratia id potius obseruamus, ineunte iam seculo XVI similem hypothese affirmauisse Carolum Bouillum, philosophum Gallum, profundae meditationis virum. Inter eius enim opera  
primo



primo loco extat liber *de Intellectu angelico et humano, et vtriusque speculari natura et illustratione a Deo, ita ut hominis intellectus, sensu posterior lunam, angelicus prior, solem referat, et intellectus sit unitas memoriae, memoria vero unitas intellectus.* Ast quae ille habet, ex Pythagoreis hypothefibus orta sunt, ut ex eius libro *de Sensibilibus* patet.

LVII. Et sicut eadem vrbs, ex diuersis locis spectata alia apparet, et optice quasi multiplicatur, ita similiter accidit, ut propter multitudinem infinitam substantiarum simplicium dentur quasi totidem differentia vniuersa, quae tamen non sunt, nisi scenographicae repraesentationes vnici secundum differentia puncta visus vniscuiusque monadis.

LVIII. Atque hoc ipsum medium est obtinendi tantum varietatis, quantum possibile, sed cum maximo ordine, qui fieri potest, hoc est, medium obtinendi tantum perfectionis, quantum possibile.

LIX. Neque etiam alia datur, quam haec hypothefis, quae prout fieri debet, magnitudinem DEI eleuat.

LX. Ceterum ex eo, quod modo retuli, de rationibus a priori, videmus, cum res aliter se habere nequeant, quoniam Deus, totum ordinans, respexit ad quamlibet partem et imprimis ad vnamquamque monadem, cuius natura cum sit repraesentatiua, nihil est, quod eam limitare posset ad vnam tantum rerum repraesentandam, quanquam verum sit, quod haec repraesentatio non sit nisi confusa, respectu partium vniuersi, nec distincta esse possit, nisi quoad exiguam rerum partem, haec est, earum, quae aut propiores sunt, aut maiores respectu vniscuiusque monadis, alias quaelibet monas foret aliqua diuinitas. Non in obiecto, sed in modificatione cognitionis obiecti monades limitatae sunt. Omnes confuse ad infinitum tendunt, sed limitantur et distinguuntur per gradus perceptionum distinctarum.

LXI. Atque in eo compositae cum simplicibus conueniunt. Quoniam enim omnia plena sunt, et per consequens omnis materia connexa, et quemadmodum in pleno omnis motus effectum quandam fortitur in corporibus distantibus, pro ratione distantiae, ita ut vnumquodque corpus non modo afficiatur ab iis, quae ipsum tangunt, et quodammodo percipiat, quod ipsis accidit, verum etiam mediantibus ipsis adhuc percipiat ea, quae prima tangunt, a quibus ipsum immediate tangitur: ideo inde sequitur, hanc communicationem procedere ad quamlibet distantiam. Et per consequens omne corpus ab omni eo afficitur, quod in vniuerso accidit, ita ut is, qui omnia perspicit, in vnoque legere possit, quod per totum accidit, immo etiam, quod iam factum aut adhuc futurum, in praesenti obseruans, quidquid tam secundum tempus, quam secundum spatium elongatur.

LXII.



LXII. Enimvero anima in se ipsa legere nequit, nisi quod distincte in ea repraesentatur non omnes suas perceptiones vna euoluere valet, quoniam ad infinitum tendunt.

LXIII. Quamuis itaque quaelibet monas creata totum vniuersum repraesentet, multo tamen distinctius repraesentat corpus, quod ipsi peculiari ratione adaptatum est, et cuius entelechia existit. Et sicuti hoc corpus exprimit totum vniuersum per connexionem omnis materiae in pleno, ita etiam anima totum vniuersum repraesentat, dum repraesentat hoc corpus, quod ad ipsam spectat peculiari quadam ratione.

LXIV. Corpus spectans ad monadem, cuius entelechia vel anima existit, constituit cum entelechia id, quod viuens appellatur, et cum anima id, quod animal salutatur.

LXV. Est vero corpus viuientis vel animalis semper organicum. Etenim cum quaelibet monas sit speculum vniuersi suo modo, et vniuersum perfecto ordine gaudeat, ordo etiam esse debet in repraesentante, hoc est, in perceptionibus animae, et per consequens in corporibus, secundum quae vniuersum in eis repraesentatur.

LXVI. Ita quodlibet corpus organicum viuientis est species machinae diuinae, aut automati naturalis, quod omnia automata artificialia infinitis modis antecellit, etc.

LXVII. Et fieri potuit, vt auctor naturae hoc artificium diuinum et prorsus mirabile in praxin deduceret, quia portio quaelibet materiae non modo diuisibilis in infinitum, sicuti veteres agnouere, verum etiam actu subdiuisae in infinitum, qualibet parte peculiari motu gaudente alias fieri haud quaquam posset, vt quaelibet portio materiae totum exprimeret vniuersum.

LXVIII. Liqueat inde, in minima portione materiae dari mundum creaturarum viuientium animalium, entelechiarum, animarum etc.

LXIX. Ita nihil incultum, nihil sterile, nihil mortuum datur in vniuerso, nullum chaos, nulla confusio, nisi ad apparentiam.

LXX. Videmus hinc, quodlibet corpus viuum habere entelechiam vnam dominantem, quae est anima in animali, sed membra huius corporis viuientis plena sunt aliis viuientibus, plantis, animalibus, quorum vnumquodque iterum suam habet entelechiam seu animam dominantem.

LXXI. Omnia corpora riuorum instar in perpetuo sunt fluxu et partes aliae continuo ingrediuntur aliae egrediuntur. Vetustissima haec physicorum fere omnium hypothesis, asserta a theogoniarum scriptoribus, Thalete, Platone, Stoicis, Heraclito, Democrito, Epicuro, Scepticis, aliisque nec recentioribus ante Leibnizium ignota, ex quibus imprimis, qui toties cum Leibnizio concordat, IORDANVS BRVNVS,

nihil

y) De Minimo p. 72.

Hist. philos. Tom. V.

Ggg



*nihil variabile dixit atque compositum in duobus temporum momentis, eisdem prorsus partibus eodemque partium ordine consistere, cum effluxus influxusque atomorum in omnibus huiusmodi sit continuus. Quae ita ad animam hominis, quam atomam naturam, et monada ipse quoque vocat, transfert:*

*Ergo atomam tantum naturam dixeris esse,  
Perpetuo cuius nulla aut propria vna figura est.  
Ergo natura est animi diuina reperta,  
Quam non alteritas non passio conficit vlla,  
Quaeque vt sub fato est obnoxia compositique  
In partem veniens, momento vix manet vno.  
Sorte affecta pari, numerique vno ordine perstat.  
Quotquot enim fiunt, mutantur lapsa ruuntque,  
Continue ad aliud atque aliud, non entia credes.  
Atqui naturam in specie meditando perenni  
Vnam cui conformari, seruareque temet  
Consmilem debes, consortem te esse deorum  
Comperies vitae, et dices: substantia nostra haec.*

Referre se autem omnem substantiam ad atomum (non molis, sed naturae, vt ipse quoque vocat,) in sequentibus prolixè docet, vbi non animam modo in organico corpore commemorat, sed eam quoque, quae est in toto vitae telluris horizonte; a qua ad animos in horizonte maiori, et animum animorum Deum ascendit. Cuilibet autem animae, siue monadi atomouae, quae synonyma sunt apud Brunum, suam esse, quam agnoscit materiam, asserit, et in eo illius naturam constare ait, quod compositionem intrinsecam non habeat, et quod, cum non sit, id fiat non per modum dissolutionis seu diuisionis, impropriissime autem generari dicatur vel corrumpi, ea praesertim, quae proprie intrinsecaque natura aeterna, immortalia, incomponibilia, indissolubilia, animae, Dei, Deus. Haec Brunus. Cuius monadologia meretur a viro quodam docto et laboris molesti patiente ex scriptis eius colligi, et cum monadologia Leibniziana comparari. Verum haec *ὡς ἐν παράδεισῳ*.

LXXII. Anima non mutat corpus nisi sensim sensimque et per gradus, ita vt nunquam omnibus suis organis vno quasi ictu priuetur. Et dantur saepius metamorphosés in animalibus, sed nunquam metempsychosis seu transmigratio animarum locum habet, neque enim dantur animae prorsus separatae. Etiam hoc ex veteri philosophia translatum, quae per omnes fere sectas *ἕχημα* et *ἐδαλον* animae tribuebat, vt suis locis probatum.

LXXIII. Atque ideo etiam nulla datur generatio, nec mors perfecta, rigorose loquendo. Sunt enim euolutiones et accretiones, quas generationes vocamus; quemadmodum inuolutiones et diminutiones, quod mortem



tem appellamus z. Etiam hoc veteribus multoties assertum, nempe quod ex fluxu materiae perpetuo aliter constare non posset, vt ex iis, quae *Tom. primo* passim dicta sunt, liquere potest.

LXXIV. Quia hodie obseruationibus compertum est, corpora organica naturae nunquam ex chao seu putrefactione prodire, sed constanter per femina, in quibus sine omni dubio datur quaedam praeformatio; hinc concluditur, corpus non modo organicum iam praeevitisse ante conceptionem, sed etiam animam in hoc corpore, h. e. animal ipsum. Et per conceptionem animal istud tantummodo disponitur ad magnam quandam transformationem, vt fiat animal alterius speciei. Nititur vtraque hypothesis praesupposito, stamina corporum ab initio rerum efformata praeevitere, vnde sequitur, habere quoque ea animas suas seu entelechias, quibus informantur. Ast haud leuibus illa sententia a magnis viris premi solet difficultatibus a, vnde ipsa quoque ratio adducta pro animarum existentia cuius generis ponderisque sit, dignosci potest. Quae tamen nobis aliud agentibus, hoc loco curae haud sunt; id vero monendus lector, caueat, ne hanc Leibnizianam praeevitentiam animarum, quae suo modo H. MORO<sup>b</sup> et ANDR. PLANERO<sup>c</sup> quoque placuit, confundat cum veterum theologorum physicorumque Graecorum, immo eorum omnium, qui μετεμψύχωσιν asserbant, animorum praeevitentiam. Hi enim animas certo numero creatas corpori, postea demum efformando, in matris vtero immitti statuebant. Illi euolutionem et staminum et animarum, atque translationem in alium perfectionis gradum, v. c. ex statu bruto insensituum, et ex hoc in rationalem asserunt. Quo iure vel verisimilitudine? dicere hoc loco, nihil attinet.

LXXV. Animalia, quorum nonnulla eleuantur ad gradum maximorum animantium, ope conceptionis, appellari possunt spermatica, sed ea, quae speciem non mutant, nascuntur, multiplicantur, et destruuntur, quemadmodum animalia magna. Paruus admodum numerus est electorum, qui ad theatrum maius progrediuntur.

LXXVI. Si animal nunquam naturaliter incipit, nec vnquam naturaliter finiri debet: et non modo nulla datur generatio, verum etiam nulla destructio totalis, seu mors rigorose sumta. Atque ratiocinia ista a posteriori desumta, cum illis a priori deductis optime concordant.

LXXVII. Ita asserere licet, non modo animam, mundi indestructibilis speculum, esse indestructibilem, verum etiam animal ipsum, quamuis machina ipsius saepius ex parte pereat, et inuolucra organica relinquat, vel capiat. Nouerat Leibnizius, vt veterem philosophiam apprime didicerat, et intelligebat, veteribus hoc systema indestructibilitatis, ita enim

Ggg 2

com-

z) Conf. Recueil T. II. p. 283. illustris BVL-  
FINGERVS Dilucid. phil. S. III. c. 5. §. 317. p. 397.  
a) Conf. quos laudat praestantissimus HOLL-  
MANNVS Phys. P. II. c. 4. §. 517. p. 629.

b) Opp. phil. T. II. p. 365. seqq.

c) In Diss. de propagat. animae humanae pr. V.  
p. 41.



compendii causa vocabat, non fuisse ignotum. Ut igitur sententiae valde paradoxae et inuidiam toti hypothese conflare aptae auctoritatem conciliaret, ad veterum consensum prouocauit. Testem autem produxit Leibnizius auctorem libri *de Diaeta*, qui HIPPOCRATI tribui solet, verius autem a discipulo quodam Hippocraticis sententiis innutrito profectus est. Is vbi τὰ ζῶα, ex igne et aqua constare dixisset, quorum ille omnia per omnia moueret, haec omnia per omnia nutriret, id est, ille „actiuum, haec passiuum principium suppeditaret, addit: „Particulatim „vtrumque superare et superari ad summum et minimum, quantum eius „fieri possit; nunquam autem simul in eodem consistere, sed semper alterari; nullum enim omnino corpus perire, neque fieri quod prius non „erat, verum permixta et discreta alterari: homines autem putare, hoc „quidem ex orco in lucem auctum generari, illud vero ex luce in orcum „imminutum perire ac corrumpi. Oculis autem magis credere oportere „quam opinionibus: sed animal neque mori possibile esse neque generari, sed augeri omnia et minui ad summum et ad minimum, quantum „eius fieri possit. Generari autem idem esse ac perire siue corrumpi, nempe commisceri et secerni: vnumquodque ad omnia et omnia ad vnumquodque idem esse, seorsim autem omnia et diuina et humana sursum „ac deorsum vicissitudinem habere, ac transire; et haec fieri per diuinam „necessitatem; accedentibus autem illis huc, his vero illic, et inter se „(igni nempe et aqua) permixtis destinatum fatum explere et ad maius et „ad minus: corruptionem vero omnibus mutuo inter se esse, maiori a „minore, et minori a maiori: et auferre maius a minore: reliqua „autem omnia et hominis animam et corpus velut animam ornari ac „gubernari. etc.“ Displicuit cl. DES MAIZEAUX haec comparatio, qui seductum a Cornarii versione Dacierium et ab eo Leibnizium de generatione et morte animalium haec perperam intellexisse contendit, cum ζῶα hoc loco nihil aliud sint nisi entia omnia, quae sunt, crescunt, diminuuntur, soluuntur etc. quae sensu populari ζῶα appellentur. Hinc nihil aliud velle auctorem putat, quam falsum esse plebis praedudicium, res recens apparentes nasci aut incipere existere, vel disparentes esse cessare, nam cum mundus quaedam entium particularium eongeries sit, non posse aliquid perire sine vniuersi detrimento: adeoque entia haec generationem et destructionem proprie non pati, sed constare omnia commixtione, compositione, incrementis, vnione, modificatione, diminutione, separatione; et sic porro, et hoc nasci, hoc perire esse. Haec nihil facere putat ad systema indestructibilitatis a Leibnizio animabus vindicatum. Nobis satis leuis haec Leibnizii censura videtur, vbi etiam concedamus, τὰ ζῶα non animantia, sed entia in mundo omnia significare, quod tamen nondum vir doctus euicit. Cum enim ex hypothese Leibnizii res compositae in mundo omnes, ex simplicissimis entibus siue monadibus

d) Recueil T. II, p. 371. seqq.



dibus consent, quarum aggregatio nouam substantiam non producat, sed phaenomenon materiae; adeoque rebus omnino omnibus suae animae insint, quae alterari mutarique nequeant, licet modificationes patiantur; recte ex mente illustris viri τὰ ζῶα in allato loco comparantur cum monadibus, quae vitae caussam, animam, in se habent, quaeque ex eadem ratione perire non possunt; quia cum semel esse coeperint mutationis omnis expertes persistant, adeoque istam monadatorum congeries ubi apparet, non nouam entium uiuentium existentiam innuere potest, id est generationem, sed modo nouum φαινόμενον exurgens ex transformatione status etc. Verum ipsum auctoris veteris systema intuentes, quod et *Tomo primo* ex hoc loco adduximus, deprehendimus, eum de natura hominis et qualitatum tum corporis tum animi differere, et imprimis haec ad Heracliti philosophiam exigere, secundum quam praeter particulas ignis nihil certum fixumque manet, reliqua ἀνω καὶ κάτω, siue diuina sunt, siue humana, adeoque etiam ipsa anima hominis, inter se mutuo mutantur alteranturque: diserte enim ait, de hac naturae lege: Ὁ νόμος τῆ φύσει περὶ τούτων ἐναντίος, χωρὶς δὲ πάντα καὶ θεῶν καὶ ἀνθρώπων (adeoque non entia tantum in genere) ἀνω καὶ κάτω ἀμειβόμενος. Quae obscurissima verba nemo intelliget, nisi Heracliti philosophiam consuluerit. Ast ille, teste SEXTO EMPIRICO *f* statuebat: et vitam et mortem esse cum uiuimus et morimur, nam cum uiuimus mortuas esse nostras animas, et in nobis sepultas, cum autem morimur reuiuiscere, et uiuere: itemque mori et uiuere perinde esse, quoduis enim mutari in suum contrarium: nempe ob naturalem ignis mundani eiusque mutationum per rarefactionem et condensationem legem, qua res omnes modificationem accipiant, nec vitam nec mortem, sed alterationem dari, idque ad homines aequae pertinere. Recte itaque haecenus Leibnizius hunc scriptorem veterem Heracliti principia sequentem in partes vocauit, poteratque ipsum Heraclitum aduocare, quem idem statuiffe suo loco luculenter, nisi fallimur, demonstrauius. Ast, ut ingenue quoque fateamur, ob aliam longe rationem pro Leibnizii monadibus hic locus non adeo militat. Nempe tantum abest, ut principia simplicissima, stabilia, substantialia, vitam animamque habentia statuerit Heraclitus, quique ex eius schola progressi sunt Hippocratici discipuli, ex parte Heracliteae physiologiae adhaerentes, ut potius naturis Pythagoreorum stabilibus siue monadibus, τμήματα illa siue particulas ignis subtilissimas opponerent <sup>e</sup>, quae semper essent in fluxu, unde animam quoque perpetuo fluere et κίνησιν esse Heraclitus statuit, ut *Tomo primo* demonstratum. Non itaque entia uiuentia, animata, simplicia durant, et nouis tantum modificationibus prodeunt, suntque indestructibilia, sed potius nihil prorsus habent stabile semperque mutantur, funduntur, alterantur, nec, si hos homines sequeris, monades existere possunt, cum ipsae animae ex mobilibus ignis

Ggg 3

particu-

e) p. 1226.

f) Pyrrh. hyp. L. III. S. 236. g) Demonstratum idl. c. p. 1219.



particulis constantes eiusmodi mutationi sint obnoxiae. Quae in aprico ponunt, ingens inter illud Hippocratici scriptoris et inter Leibnizii systema discrimen intercedere. Quod si ex veteribus systemati indestructibilitatis quaerenda esset auctoritas, rectius ad Apollonium Tyanicum prouocare liceret, is enim disertus <sup>b</sup>: „Nulla omnino res interit, nisi in speciem, quemadmodum nec gignitur quicquam, nisi specie. Vbi enim aliquid ex statu essentiae in naturae statum transit, id generatio videtur, mors contra, vbi ex statu naturae ad statum essentiae redit. Cum interea vere nihil generetur, aut corrumpatur, sed tantum conspicuum fit modo, modo conspectui subducatur rursus, illud quidem propter materiae crassitiam, haec vero propter essentiae tenuitatem, quae semper eadem est, motu tantum et quiete differt.“ Sed et reliqua legenda sunt, quae apertum faciunt, secundum Apollonium nec generationem nec mortem proprie dictam dari. Et potest haec Tyanensis philosophi explicatio eo magis videri affinis hypothesei Leibnizianae, quia ex Pythagoreis fuit, secundum quos ideae, siue rerum essentiae, quas cum monadibus suis conspirare fassus est Leibnizius, aeternae, simplices, immutabiles sunt, at accedente materiae conformatione visibiles fiunt, non vero deum oriri incipiunt. Quo sensu Apollonii verba explicuit B. GOTTFRIDVS OLEARIVS <sup>c</sup>. At, vt, quo sumus candore, verum fateamur, et falsa haec est explicatio, vt *Tomo secundo* demonstratum, et Spinozisticam magis essentiae modificationem, quam Leibnizianam praeexistentiam ista Apollonii verba innuunt: qua inuidia virum optimum, ab hac impietate alienum onerare nolumus. Interim ex adductis locis certum est, veteres haud paucos mortem et generationem tantum inter *Φαινόμενα* retulisse, licet eius rationem secundum diuersa systemata diuerse explicuerint. Illud autem verum, quotquot monades, atomos, elementa simplicia etc. posuerunt, ea statuisse indestructibilia, et mutationes tantum ad particularum modificationes retulisse.

LXXVIII. Ex his principiis, explicari potest vnio, aut potius conformitas animae ac corporis organici. Anima suas sequitur leges, et corpus itidem suas: conueniunt vero inter se vi harmoniae inter omnes substantias praestabilitae, quoniam omnes sunt repraesentationes vniuersi.

LXXIX. Animae agunt secundum leges caussarum finalium per appetitiones, fines et media; corpora agunt secundum leges caussarum efficientium, seu motuum. Et duo regna, alterum nempe caussarum efficientium, alterum caussarum finalium harmonica sunt inter se.

LXXX. Cognouit Cartesius, animam non posse dare vim corporibus, quoniam eadem semper virium quantitas in materia conseruatur; credidit tamen, animam posse mutare directionem corporum. Id quidem ideo factum est, quod ipsius tempore lex naturae ignoraretur, quae vult, eandem

<sup>b</sup>) Ep. 58. pag. 409.

<sup>c</sup>) Ad h. l.



dem semper directionem totalem conseruari in materia. Quod si hoc obseruasset, in systema harmoniae praestabilitae incidisset.

LXXXI. In hoc systemate corpora agunt, ac si (per impossibile) nullae darentur animae, ac animae agunt, ac si corpora nulla darentur, et ambo agunt, ac si vnum influeret in alterum. Celeberrima haec harmoniae praestabilitae hypothesis est, quae nostra aetate etiam tonforum et fabrorum labiis decantata est. Cuius historiam integram hoc loco scribere, esset a via, quam sectandam nobis proposuimus, ad diuerticula discedere, ex quibus reditus non nisi longo itinere pateat. Pauca itaque feligenda, et ea tantum afferenda sunt, sine quibus historia famigeratissimi systematis intelligi nequit. Occasionem vero, Leibnizio suppeditatam de hac hypothesis cogitandi, passim ipse enarravit, fassus <sup>k</sup>: „cum satis quidem iam „olim explicuisset intrinsecas animae operationes, diu se haesisse, quid de „commercio eius cum corpore statueret. Agnouisse quidem, animam „quodammodo *πρώτην ἐντελέχειαν* esse: seu primum principium actuum „internum, quod fit in corpore; sed cum leges motus veras eruisset, vi- „dissetque, talem esse naturam rerum, vt neque noua vis neque etiam „noua directio corporibus aliunde accedat; iam manifeste se agnouisse, „omnia in corporibus fieri mechanice, sed ita, vt principia mechanismi „sint ab incorporeo, qui influxus animae metaphysicus dici possit, vnam „completam ex anima et corpore constituens substantiam; nec tamen „animae vllum posse in corpus esse influxum physicum, seu per quem „leges motus turbentur, sed consentire operationes animae et corporis „per harmoniam, ab initio rerum praestabilitam, cuius ope sublatae sint „difficultates de commercio animae et corporis, quae haecenus philoso- „phos exercuerint.“ Alio loco vero similia tradit <sup>l</sup>: Leges motus post Cartesii aetatem demum detectas, ipsi falsitatem systematis influxus, assistentiae, causarumque occasionalium detexisse, et ad hoc nouum systema manu quasi duxisse. Nempe statuerat Cartesius, eandem in vniuerso conseruari motus quantitatem, ex massa mobilis in celeritatem eius aestimata; ex quo supposito inferebat: non posse influxum realem animae atque corporis habere locum, eo quod secundum eum, quantitas aliqua augeri, minuique possit. Hanc vero Cartesii regulam falsam esse; primus demonstrauit <sup>m</sup> Leibnizius, luculenter ostendens, magnum esse discrimen, inter vim motricem et quantitatem motus, idque euentibus rationibus contra Catelanum et Papinum assertum iuit. Agnouit id quoque magnus NEWTONVS <sup>n</sup>, experientia probans, ex variis binorum motuum compositionibus, manifestum esse, non semper eandem esse in mundo quantitatem motus. Falso itaque Cartesii canoni alium substituit Leib-

k) Act. Erud. 1712. p. 67.

l) Theodicæe § 60 seqq.

m) A. E. 1686. p. 161. 1689. p. 186. 175. 1690. p. 228. 1691. p. 6. seq. 429. 1698. p. 439. Journ. des savans 1693. p. 651. falsum itaque est, quod

contendit Clarckius, qui Leibnizium non satis intellexit, Rec. T. I. p. 180. Newtonianis eunt rationibus conuictum id demum agnouisse.

n) Optic. P. III. q. vii. p. m. 404.



Leibnizius, naturae rerum conuenientem <sup>o</sup>, qui identitatem quantitatis virium motricium ex massa mobilis in quadratum celeritatis aestimandarum afferit, ex quo concludit, si animae volitiones motum efficiant in corpore nostro, reliquis imprimendum, augeri sic in corporibus, siue in vniuerso corporum complexu, vires motrices, et minui, cum ex diuerforum corporum motu atque in sensoria nostra impulsu oriantur perceptiones, quod canonem repugnat. Sed et porro Cartesio placuerat, cum in actione motrice distingui posse ipsam motus quantitatem a directione obseruauisset, animam posse habere vim mutandae directionis motuum, qui fiunt in corpore, ad eum fere modum, quo eques, quamuis equo, quem infidet, vim nullam largiatur, eius tamen gressum, vires, quo liberit dirigendo, moderatur <sup>r</sup>. Ast hac iterum falsa esse postea compertum fuit, cum, obseruante Leibnizio, nihil neque in anima, neque in corpore, id est, neque in cogitatione, neque in massa sit, quod ad explicandam hanc vnius per alterum immutationem seruire possit, et siue anima quantitatem virtutis, siue lineam directionis in corpore mutare dicatur, vtrumque aequè inexplicabile sit. Hinc his quoque canonem a Leibnizio surrogatus alius <sup>q</sup>, nempe: conseruari etiam eandem directionem in omnibus simul corporibus, quae inter se agere supponuntur, quomodocumque demum sibi mutuo occurrant, dum scilicet seruetur directio centri grauitatis communis. His legibus naturae suppositis, colligebat inde Leibnizius, corporum directionem aequè ac virtutem imperio animae subtrahendam esse, et non modo alterius ex his substantiis physicum influxum in alteram nulla ratione explicari, sed et absque omnimoda legum naturae perturbatione in corpus animam physice agere non posse. Qua ratione systema quoque assistentiae, quod Cartesio placuit, subruitur, quae quoque causa est, cur Mallebranchius, Cordemaeus alique, eo relicto, systema causarum occasionalium excogitarint. Quo vero posito, cum miracula perpetua introducantur, nec caueatur eo perturbationi legum naturalium in vtraque substantia constitutarum, quae aequè violabantur, siue Dei interpositio, siue mutui influxus interueniat, ratio autem sufficiens eius dari nulla possit <sup>r</sup>: via plana se detexit Leibnizio ad harmoniam praestabilitam descendendi, quae nec leges motus naturales confundat, nec Deum ex machina aduocet, sed animam pariter atque corpus suis motibus, secundum regulas naturales permittat, et conspirare tamen vtramque substantiam amicissime demonstrat. Qua in hypothese confirmatum, se ait Leibnizius <sup>s</sup>, cum de principio harmoniae tum in genere, tum in specie praeformationis, itemque harmoniae inter omnes res praestabilitae, v. c. inter naturam et gratiam, inter decreta Dei et actiones hominum praeuifas inter omnes

o) Journal des sçavans 1698. p. 262. Primus hanc motus legem deprehendit in sphaericis illustris Hugenius, vid. Journ. des sçavans 1669. p. 534.  
p) Conf. Theod. §. 60.

q) Journ. des sçavans 1696. p. 262.  
r) Conf. BULFINGER de Harm. praestab. f. IV. §. 74. sqq. p. 78. sqq.  
s) Theod. §. 62.



omnes partes materiae, et inter ipsum praeteritum et futurum etc. ex natura sapientiae diuinae, quae summam, quae concipi modo potest, harmoniam inuoluit, esset conuictus. Hinc enim se sua sponte delatum esse ad hoc systema ait, secundum quod Deus animam initio ita creauit, ut ea, quae in corpore fiunt, sibi repraesentare et producere in se ipsa; et similiter corpus illud per se facere dicatur, quod anima imperat. Ita leges, quibus cogitationes animae vniuntur in ordine causarum finalium, et secundum euolutionem perceptionum, imagines producere debere, quae concordent conueniantque cum impressionibus corporum, in organa sensoria; parique ratione leges motuum in corporibus, qui secundum ordinem causarum efficientium se consequuntur, conspirare quoque atque ita conuenire debere, cum cogitationibus animi, ut corpus ad agendum promptum sit, eo tempore, quo vult anima. Quo pacto anima perceptionum et appetituum suorum vnus auctor est, ut corpus motuum, quae tamen ut inter se concordent, harmoniae a summae sapientiae auctore Deo, praestabilitae id opus est. Valde commendauit Leibnizius hoc systema, quod et sapientiam diuinam, non dissidente P. BAYLIO <sup>f</sup>, omnium maxime extollat, et libertati plane non refragetur, cum secundum illud anima suarum actionum auctor sit liberrimus; animae autem independentiam tantam faciat, quantam liceat, cum quaecunque in anima fiunt, ab ea dependeant; eo quod status futurus ex praesente exurgat. Non tamen in ipso partu foetum ingeniose excogitatum in vulgus prodire iussit, sed ab anno 1701 <sup>clxxxi</sup>, quo primum de eo cogitare coepit, animo ruminatus est, etiam cum viris doctis in literis de eo egit; donec maturum iam istum pullum satisque venuste ornatum anno 1705 <sup>ccv</sup>, in *Ephemeridibus Parisiensibus* <sup>u</sup> prodire iuberet, inserto *Systemate nouo naturae et communicationis substantiarum, itemque vnionis inter corpus et animam*. Non poterat non fieri, ut tam inauditae nouitatis cogitationes contradictionem haud paterentur. Prodiit itaque in arenam in eodem diario <sup>x</sup> erudito eruditissimus FOVCHERIVS, et obiectiones nonnullas attulit, quibus satis, quod est facere paulo post conatus est Leibnizius <sup>y</sup>. Deinde P. BAYLE quoque, laudato eximio ingenii maximi, quod ex hac hypothese elucet, specimine, quibus illam difficultatibus premere sibi videretur, in *Dictionario Historico-Critico* <sup>z</sup> exposuit. Quas tam soluit quoque, et illustrauit difficiles meditationes Leibnizius <sup>a</sup>. Tertius ab his ex Benedictinorum, congregationis S. Mauri in Gallia, monachorum sodalitis vir acutus FRANCISCVS LAMIVS habere se, quae obiceret, in libro *de Cognitione sui* <sup>b</sup> factus est, et inimicum esse systema

harmo-

f) Dist. T. IV. art. Rorarius not. Q.  
 u) Vid. Contin. des Memoires de literature et  
 histoire T. VIII. P. I. p. 221. seqq. vbi exrat epistola  
 Leibnizii ad Arnaldum.  
 u) 1695. p. 444. sqq.

x) 1695. p. 639. seqq.  
 y) 1696. p. 255.  
 z) loc. cit.  
 a) Hist. des Ouvr. des savans 1698. p. 329.  
 b) p. 593. seqq.



harmoniae praestabilitae in libertatem contendit. Accessit his ex Iesuitarum sodalitate eruditissimus TOURNEMINUS, qui pro systemate influxus contra harmoniam praestabilitam erudite et humaniter militavit <sup>c</sup>. Parcius eam aggressus IAQUELOTIVS <sup>d</sup>, nonnulla reprehendit, in haud paucis ingeniosum *Evangelium* laudavit. Respondit his quoque Leibnizius, et tum de Lamii et Baylii obiectionibus in altera dictionarii editione repetitis nonnulla monuit <sup>e</sup>, tum ad laquelotii obseruationes suas annotationes vulgavit. Interim cum in theatro orbis eruditi *Theologica* comparuisset, hac imprimis hypothesi, cum reliquis, quas ad refellenda Baylii obiectiones usus est, qua ratione ad veritates magni momenti demonstrandas ut liceat, more suo eruditissime ostendit <sup>f</sup>. Interim nouus contra foetum ingenii Leibniziani aduersarius prodiit, medicus celeberrimus GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS, qui ad communicatas secum ab ipso Leibnizio meditationes, *Enodationes* scripsit, quibus *Replicationem* auctor opposuit. Tandem inter Samuelem Clarckium quoque et Leibnizium <sup>g</sup>, ut de aliis metaphysicae capitibus, ita imprimis de harmonia quoque praestabilita disputatum est, ipso illustri Newtono obiiciente perpetuum eam miraculum supponere. Et hi quidem viuo harmoniae praestabilitae parente contra eam infurrexerunt. Post fata Leibnizii autem dici non potest, quam miris fortunae vicissitudinibus ea hypothesi excepta sit, postquam cel. WOLFIVS ei subscripsisset. Qui, ut ipse narrat <sup>h</sup>, cum nouum metaphysicae corpus conderet, initio constituerat apud se, totam quaestionem de vnione inter animam et corpus intercedente omittere; at cum praeter spem ex fundamentis positis ad hypothesin hanc sponte adduceretur, eam non retinuit modo, sed maiori etiam luce perfudit. Ex eo autem tempore cum de placitis Wolfianis acerrime disputaretur, harmonia praestabilita meta illa fuit, ad quam omnes, qui inimica aduersus praestantissimum virum signa contulerant, tela dirigerent, pro qua omnibus viribus sectatores Wolfii decertarent. Qui tamen harmonia praestabilita se tantum uti veluti hypothesi, adeoque ei nullas veritates inaedificare aliquoties monuit <sup>i</sup>. Quae tamen hoc loco enarrare omnia, et scriptorum omnium recensum dare instituti ratio obstat, consulendus autem, qui diligenter in hoc stadio decurrit cl. LVDOVICVS <sup>k</sup>. Sed non minus impossibile nobis, limitibus fati arctis constrictis, ea enarrare omnia, quae contra hypothesin elegantem quidem et ingenio maxime se commendantem, at paradoxam monuerint viri docti, regefferintque Leibnizius, Wolfius eorumque asectae. Comparari

c) Memoires de Trevoux 1703. Mai. p. 264.

Idem p. 1063. Sept. p. 1661. Oct. p. 1840. seqq.

d) Conformité de la foi avec la raison. conf. A. E. 1705. Oct.

e) Hist. de la rep. des lettres T. XI, art. 4. et Recueil T. II. p. 389.

f) A. E. I. c. Dec. p. 440.

g) Recueil T. I.

h) In Praef. Metaphysicae Germ.

i) Vid. Responso ad accusationes Langianas iussu regis Borussiae scripta, p. 64. Collect. Ludovic.

k) In Hist. phil. Leibniz. P. II. c. XXII. §. 489. seqq. p. 371. et in Hist. phil. Wolfianae §. 324. p. 237. seqq.



rari autem et attente legi expendique meretur illustris viri **GEORGII BERNARDI BULFINGERI** *Commentatio hypothetica de harmonia animi et corporis humani maxime praestabilita ex mente illustris Leibnizii*<sup>1)</sup>, qui diligenter et acute ea enarravit quae Foucherius, Baylius, Lamius, Tourneminius, Newtonus, Clarckius, Stahlius, quos viuis aduersarios Leibnizius habuit, obiecerunt, et in id ingenii praestantissimi neruos intendit, vt eorum obiectionibus satisfaceret, demonstraretque leges corporum et leges monadum, quantumuis diuerfas, tamen inter se sub generalibus legibus metaphysicis conuenire, vt harmonicas dicere, iisdemque mediantibus effectus harmonicos ex causis harmonicis deriuare liceat: adeoque possibile esse, vt corpus atque anima conspirent, etiamsi principium mutationis sit vniciuique intrinsecum saltem; eo quod experientiae testimonio conspirent mutationes corporis et animae, sed vtrumque sibi habeat res suas et suas sequatur leges, neesseque sit, vt a Deo semel sint harmonice constituta ab initio, sic vt ex priori eorum harmonia consequantur ceterae. Hunc itaque eruditissimum virum eos adire oportet, qui rem omnem acumine philosophico enarratam cupiunt. Nos, vt controuersiae specimen faciamus, ex innumeris obiectionibus quibus omnis generis eruditi harmoniam praestabilitam aggressi sunt, eam vniam adducimus, quae inimicam esse libertati et fatalissimum quendam, id est fatalem necessitatem inferre, adeoque Spinozisticae impietati portam aperire confessa est. Nempe offendit viros doctos et pios, quod antecedentes perceptiones subsequendum parentes, et hae appetituum animae auctores dicantur, qua ratione dum nihil fieri, quod non in antecedente suam rationem habeat, asseratur, euertere libertatem putant. Primus, nisi fallimur, Franciscus Lamius hoc telum harmoniae praestabilitae intentauit, quod ita repressit Leibnizius, vt liberas esse actiones animae voluntarias contenderet, quarum distinctas ideas habet, et quae pendent a ratione; distingueret autem inter naturale, quod naturae rerum conuenit, et inter necessarium, siue essentiale, quod immutari non potest, legem autem ordinis, quae in perceptionibus est, vt in motibus, libertatem non iugulare, vt exemplo ipsius DEI constat, affirmaret. Postea commotis controuersis Wolfianis praecipuus venerandus **IOACHIMVS LANGIVS**<sup>m)</sup> in id incubuit, vt efficto monstru bicipiti materialismi et idealismi, mira harmonia praestabiliti, necessitatem quandam fatalem confirmari, omnemque voluntatis humanae libertatem et actionem moralem ista hypothese euertere euinceret. Quibus **WOLFFIVS** praeter alia *Commentationem de differentia nexus rerum sapientis et fatalis necessitatis nec non systematis harmoniae praestabilitae et hypotheseum Spinozae* opposuit. Tacemus innumeros, qui hoc

Hh h 2

quidem

1) Tub. siue Lips. 1723. 8.

m) Scripta huc pertinentia nominat **LVDVIGI**

cvs Hist. phil. Wolfianae P. I. c. XIV. §. 252. sqq. p. 196. seqq. P. II. §. 540. sqq. longior enim series est, quam hic exponi queat.



quidem telo acerrime istam hypothefin confodere aggressi sunt. Quibus haud pauciores responderunt, inter quos praecipue consulendus est summe reuerendus BULFINGERVS <sup>n</sup>. Sed et tertia pars accessit, eorum, qui non repugnare quidem harmoniam praestabilitam libertati humanae voluntatis vt solet adstrui, asseruerunt, alii esse tamen in ea aliquid, quod crucem figat, et veram libertatis notionem euertat, conquesti sunt. Quo pacto nuper acutissime de harmonia praestabilita disputauit celeberrimus HOLLMANNVS <sup>o</sup>, qui, licet sectatoribus Wolfii nomen non addixisset suum, contenderat <sup>p</sup> tamen, in isto harmoniae praestabilitae systemate in se et praecise spectato, in quo certas animae humanae repraesentationes, cogitationes et decreta certi in membris corporis motus, et certos in organis corporis sensoriis excitatos motus certae quaedam in anima humana consequantur repraesentationes, sensationes, et perceptiones, nihil se deprehendere, quod in animae humanae libertatem villo modo fit iniurium: quae assertio eum cum cel. LANGIO quoque commisit. Postea autem considerato systemate in toto suo ambitu inuenisse se, monuit, quae libertati inimica sint. „Nempe statui obseruat, secundum „istam hypothefin, animae vim mundi repraesentatiuam, illi adeo intrin- „secam et essentialem esse, vt non modo sensationes et perceptiones re- „rum nudae, quibus mutationes a corporibus in organa sensoria agentibus productae in anima repraesentantur, ex ea fluant, sed et ea ita ad „mundum repraesentandum determinata sit, vt ex ea vi reliqua omnia, „quae in eadem contingunt, exoriantur. Ita vero omnem actionis con- „tingentiam, quae separari a libertatis notione non potest, tolli conten- „dit, cum omnia quae in anima contingunt, ex vi illa repraesentatiua „per essentiam suam determinata solum consequantur, vis autem illa „omnimode determinata sit, siquidem anima alias aequae facile hanc, „quam aliam quamcunque mundi partem, aequae facile illam, quae cor- „poris ipsius statui respondet, quam quamuis aliam, repraesentare sibi „posset, quod contra systematis primarium suppositum est. Hinc enim „neceffe esse, vt et omnia, quae ex omnimode determinata eiusmodi „vi fluunt, et ipsa omnimode determinata sint: haecque a Deo determi- „natio simul non minus ac ipsa vis illa repraesentatiua, ex ipsa animae „essentia fluat, sicque absoluta porro sit et immutabilis. Et cogitationes „ergo animae reliquas et volitiones atque decreta eius omnia, per essen- „tiam eius, quaeque essentiam eius constituit, vim illam mundi reprae- „sentatiuam ita iam futura esse determinata, vt consequi aliter in anima „nequeant, vnde et contingentia illarum omnis et cum illa ipsa animae „humanae libertas collapsa sit.“ Quibus vir doctus in sequentibus ita instat, vt demonstrat, ex hac praedeterminatione repraesentationum, se- qui necessario volitionum determinationes, easque esse non minus prae- stabili-

n) In Dilucidat. philos. p. 357. seqq.

o) In Cogit. poster. de Harmonia praestabilita.

p) In Diff. priore de Harm. praest.



stabilitas, quam motus corporis. Tandem neque istud tacendum hoc loco est, fuisse nonnullos, qui ex ipsis principiis Leibnizianis ostendere fategerunt <sup>q</sup>, habere animam vim mouendi corpus, non metaphysicam modo, sed et physicam, adeoque systema influxus ab ipso Leibnizio euertere non posse. Rationem eam adducunt, quod, praeter voluntatem mouendi, conatum quoque insignem, producendi nonnunquam motus voluntarios in corpore sentiamus, qui nifus atque conatus eius virium nomine venit, et Leibnizio, id quod reale in motu est, dicitur. Ipse sane Leibnizius, vim mouendi corpora influxu physico non ex rationibus impossibilitatis deriuauit, concedit enim Deum ita mouere posse corpora, sed quod in anima humana rationes eius rei sufficientes non inueniret, suadeat autem sapientia DEI in legibus motuum et appetituum siue finium demonstrata, fieri id tantum metaphysice, et per harmoniam. Vnde caute prudenterque pronuntiauit, quem nuper ereptum nobis dolemus Ven. Io. GVST. REINBECKIUS <sup>r</sup> etiam si hypothesis harmoniae praestabilitae in religionem Christianam iniuria non fit, non minoribus tamen, quam reliquas de vnione animae et corporis hypotheses difficultatibus premi, praestareque fateri ignorantiam nostram ad mysteria DEI reuelata simplici fide recipienda ducentem, quam modum ignotum mysterii naturalis coniecturis et hypothesebus definire. Verum de his prolixius in historia philosophiae et controuersiarum Wolfianarum differendum est. Iam ad monadologiam Leibnizianam reuertimur.

LXXXII. Quod spiritus, seu animas rationales concernit, quamuis ita se habeat res, vt animal et anima nec oriantur nisi cum mundo, nec intereant nisi cum mundo: id tamen peculiare est in animalibus rationalibus, quod ipsorum animalcula spermatica <sup>s</sup>, qua talia, habeant tantum animas ordinarias seu sensitivas, sed quae electa sunt, vt ita dicam, et ad naturam humanam ope conceptionis actualis perueniunt, eorum animae sensitivae eleuantur ad gradum rationis et praerogatiuam spirituum. Valde fauebat Leibnizius praesistentiae animarum, cum et maximas circa ortum animarum difficultates cerneret, et innumeris disputationibus quaestionem de origine formarum substantialium expositam nosset, ex qua controuersiae quoque de anima vel per traducem vel per creationem producta exortae sunt; crederet autem non minori iure gaudere substantias simplices et immateriales, quam atomos Epicuri vel Gassendi, quae perpetuo durantes admittuntur. Hinc animas non nisi per creationem accepisse initium, et non nisi annihilatione finem quoque habere, statuit; cumque corporis organici formationem sine praeformatione organica

H h h 3

supposi-

q) Cel. GOTTSCHEDIUS in Vindicijs system. influxus physici sect. II. c. 2. §. 22. p. 70.

r) In Disq. de Harmonia praestabilita, Germanice edita Berolini 1737. 4.

s) Subscribit Leibnizius sententiae Leuwent-

hoekianae de Animalculis spermaticis, quae monadem eam constituere putat, ex qua exurgit anima humana, conf. HANSEN, l. c. p. 169. An vero id fiat ordinaria vel extraordinaria Dei operatione, non definit in causa Dei §. 81.



supposita explicari non posse, pro certo haberet, conclusit inde, generationem animalium non nisi transformationem esse, et habuisse corpus antea iam organifatam animam eandem, nec posse esse animas, saluo naturae ordine, a corporibus plane separatas. Haec cum compararet cum harmonia, secundum quam semper agit diuina sapientia, praexistentiam animarum ab initio creationis admittendam, et addendam illis esse necessario corpus organicum, in quo extiterint, conclusit. Verisimile autem putauit, animas ante generationem mere sensitivas esse, et tum demum fieri in generatione rationales. Qua de re in se obscurissima et difficili eleganter et satis perspicue in *Theodicea* § differit. Ita vero praexistentiam animarum, quod supra iam tetigimus, a metempsychosi discernebat, quae ipsa quoque animarum *περὶπαρξιν* inuoluit, cum saltem eiusmodi, qualem animarum transmigratio innuit, legibus motus, adeoque naturae ipsi prorsus esse contrarium cerneret §. Vt autem animam ex statu sensitiuo in statum rationalem euehatur, mutationem et euolutionem materiae machinae corporis, quae est in animali spermatico, requiri putabat; mutata enim corporis conditione, mutandum etiam animae statum esse ob harmoniam inter corpus et animam praestabilitam; ob quam tamen harmoniam, status praefens sit grauidus futuri, et homo futurus in illo animali iam latuerit, vt ipse ad Remondum scripsit.

LXXXIII. Inter alias differentias, quae inter animas ordinarias et spiritus intercedunt, etiam illa datur, quod animae in genere sint specula viuientium, seu imagines vniuersi creaturarum, sed quod spiritus insuper sint imagines ipsius diuinitatis, seu auctoris naturae, quae systema vniuersi cognoscere et aliquid eius per scintillulas architectonicas imitari possunt, cum spiritus vnusquisque sit parua quaedam diuinitas in suo genere.

LXXXIV. Atque inde est, quod spiritus sint capaces societatis alicuius cum Deo ineundae, et quod ipse eorum respectu non solum sit inuentor, qualis est respectu creaturarum ceterarum, sed insuper princeps et parens, hoc est, eam habeat ad ipsos relationem, quem princeps ad suos subditos, et parens ad liberos suos.

LXXXV. Inde haud difficulter infertur, omnes spiritus simul sumtos constituere ciuitatem DEI, hoc est, regnum omnium perfectissimum sub perfectissimo monarcha.

LXXXVI. Haec ciuitas DEI, haec monarchia vere vniuersalis est mundus moralis in mundo naturali, et id maxime sublime et diuinum est in operibus DEI, atque in hoc reuera gloria DEI consistit, quoniam nulla daretur, nisi magnitudo et bonitas a spiritibus cognosceretur, ipsisque admirationi esset. Respectu huius ciuitatis diuinae datur bonitas proprie sic dicta, cum e contrario sapientia et potentia vbique eluceant.

LXXXVII.

§) § 81. seqq

¶) Vid. Recueil T. II. p. 186.



LXXXVII. Intercedit ergo harmonia quoque inter regnum physicum naturae, et regnum morale gratiae, hoc est, inter Deum, quatenus consideratur vt architectus machinae, et inter Deum eundem, quatenus vt monarcha ciuitatis diuinæ spirituum spectatur.

LXXXVIII. Ab hac harmonia pendet, quod res deducant ad gratiam per ipsas vias naturae, et quod hic globus e. g. destrui et reparari debeat per media naturalia iis momentis, quando regimen spirituum id postulat ad aliquos puniendos, ceteros remunerandos.

LXXXIX. Afferere etiam licet, Deum tanquam architectum, satisfacere Deo tanquam legislatori, ex asse, atque sic peccata consequi debere poenas per ordinem naturae et structurae mechanicae rerum, bonas etiam actiones secum trahere remunerationes per media machinalia respectu corporum, quamuis idem nec possit nec debeat constanter ex templo accidere. Etiam in hac harmonia regni naturae et gratiae afferenda, visus est nonnullis gratiae se inimicum ostendisse. Ast monuerunt amici eius, etiam si leges naturae, ad exequenda gratiae et iustitiae decreta valere dicat, illis tamen non dicere, quod opus gratiae, absolua- tur, sed minime sufficientia declarauisse, cum et miracula fieri propter regnum gratiae afferat, et naturae viribus peccatorem conuerti posse neget.

XC. Tandem sub perfectissimo hoc regimine nulla datur actio bona sine remuneratione, nulla mala sine poena, et omnia vergere debent in salutem bonorum, hoc est eorum, qui regimine diuino contenti sunt in hoc magno regno, qui confidunt in prouidentia diuina, et qui amant et imitentur, vt par est, auctorem omnis boni, voluptatem percipientes ex consideratione perfectionum ipsius, secundum naturam amoris puri et veri, vi cuius voluptatem percipimus ex eius, quem amamus, felicitate. Atque ideo personae sapientes ac virtuosae perficere conantur, quicquid voluntati diuinæ praesumptivae et antecedenti conforme apparet, et hoc non obstante, in iis acquiescunt, quae per voluntatem secretam; consequentem et decisivam acta contingunt, quoniam agnoscunt, quod si ordinem naturae satis intelligeremus, deprehensuri simus, eadem vota sapientissimi longe superare, nec fieri posse, vt meliora reddantur siue intuitu totius vniuersi in genere, siue etiam respectu nostrum in specie. Siquidem, prout par est, auctori omnium adhaeremus, non modo tanquam architecto et causae efficienti essentiae nostrae, verum etiam, tanquam Magistro nostro atque causae finali, cuius est, efficere quod volumus, et qui solus nos felices reddere valet. Aperuit vir summus in his vltimis assertionibus vestibulum philosophiae moralis, quale monadum atque harmoniae vniuersalis hypothesebus sine dubio inaedificaturus erat. Eam autem non perfecit: nonnulla tamen in

*Theodicea*

\*) Vid. KORTHOFT Diss. de Phil. Leibniz, Christianae religioni non perniciofa §. 19. seqq. pag. 43. seqq.



*Theodicea* attulit, quae dicta illustrare possunt. Pleraque illustravit ex fundamentis Leibnizianis HANSCHIVS \*.

*Theologia naturalis Leibnizii.*

§. XXXVIII. Praestantissimum metaphysicae Leibnizianae caput theologia naturalis siue doctrina de Deo, est, quod studiose excoluit Leibnizius. Qui non tantum emendare Cartesianam existentiae DEI rationem aggressus est, vt supra dictum, sed et applicatione principii rationis sufficientis recta et acuta ex rerum existentium contingentia, vnicum et verissimum quod stringat et impietatem euertat argumentum deduxisse sibi visus est. Sed attributorum quoque diuinorum harmoniam tum inter se, tum in relatione ad animam humanam insigni acumine, suis tamen hypothefibus vsus, in *Theodiceae* opere explicuit, quod totum excerpere, et quae ad philosophiam spectant, huc adducere, operae pretium esset, nisi paginarum nostrarum angustia tantam prolixitatem refugeret, liberque eruditissimus et elegantissimus in omnium manibus versaretur. Quoniam tamen eius summam in *Causa DEI* tractationi subiuncta in neruum contraxit auctor, acuteque de Deo, eius intellectu, voluntate, decretis concursuque ad actiones hominum differuit, excerpemus, qua licet breuitate, ea quae ad theologiam naturalem pertinent: eae enim, quas de corruptione hominis et peccato, de eius propagatione et imputatione, de auxiliis gratiae et doctrinae reuelatae capitibus aliis explicationes et coniecturas attulit, ad limites nostros non pertinent, merentur autem legi expendique a Lectore curioso omnia, vt, qualis fuerit Leibnizius, appareat.

I. Omnipotentia complectitur tum Dei independentiam ab aliis, tum omnium dependentiam ab ipso.

II. Independentia DEI in existendo elucet et in agendo; et quidem in existendo, dum est necessarius et aeternus, et, vt vulgo loquuntur, ens a se: vnde etiam consequens est, immensum esse.

III. In agendo independens est naturaliter et moraliter, naturaliter quidem, dum est liberrimus, nec nisi a se ipso ad agendum determinatur: moraliter vero dum est ἀνυπερδύναμος, seu superiorem non habet.

IV. Dependuntia rerum a Deo extenditur tum ad omnia possibilis, seu quae non implicant contradictionem, tum etiam ad omnia actualia.

V. Ipsa rerum possibilitas, cum actu non existunt, realitatem habet fundatam in diuina existentia: nisi enim Deus existeret, nihil possibile foret; et possibilis ab aeterno sunt in ideis diuini intellectus.

VI. Actualia dependent a Deo tum in existendo, tum in agendo, nec tantum ab intellectu eius, sed etiam a voluntate. Et quidem in existendo, dum omnes res a Deo liberae sunt creatae, atque etiam a Deo conseruantur;

v) loc. cit. Theor. 121. seqq.



feruantur; neque male docetur, conseruationem diuinam esse continua-  
tam creationem, vt radius continue a sole prodit: etsi creaturae neque  
ex essentia Dei, neque necessario promanent.

VII. In agendo res dependent a Deo, dum Deus ad rerum actiones  
concurrit, quatenus inest actionibus aliquid perfectionis, quae vtique a  
Deo manare debet.

VIII. Concurfus autem Dei, etiam ordinarius, seu non miraculosus  
simul et immediatus est, et specialis. Et quidem immediatus, quoniam  
effectus non ideo tantum a Deo dependet, quia causa eius a Deo orta est,  
sed etiam quia Deus non minus, neque remotius in ipso effectu produ-  
cendo concurrit, quam in producenda ipsius causa.

IX. Specialis autem est concurfus, qui non tantum ad existentiam rei  
actusque dirigitur, sed et ad existendi modum et qualitates, quatenus ali-  
quid perfectionis illis inest, quod semper a Deo profluit, patre luminum,  
omnisque boni datore.

X. Sapientia DEI ob immensitatem vocatur omniscentia. Haec cum  
et ipsa sit perfectissima, complectitur omnem ideam, et omnem verita-  
tem; id est omnia tam incomplexa quam complexa, quae obiectum in-  
tellectus esse possunt; et versatur itidem tam circa possibilia, quam circa  
actualia.

XI. Possibilium est, quae vocatur scientia simplicis intelligentiae, quae  
versatur tam in rebus, quam in earum connexionibus; et vtraeque sunt  
tam necessariae, quam contingentes.

XII. Possibilia contingentia spectari possunt tum vt seiuncta, tum vt  
coordinata in integros mundos possibiles infinitos, quorum quilibet Deo  
est perfecte cognitus, etsi ex illis non nisi vnicus ad existentiam perdu-  
catur: neque enim plures mundos actuales fingi ad rem facit, cum vnus  
nobis totam vniuersitatem creaturarum, cuiuscunque loci et temporis  
complectatur, eoque sensu hoc loco mundi vocabulum vsurpetur.

XIII. Scientia actu alium, seu mundi ad existentiam perducti, et omni-  
um in eo praeteritorum praesentium, futurorum, vocatur scientia visio-  
nis, nec differt a scientia simplicis intelligentiae huius ipsius mundi, spe-  
ctati vt possibilis, quam quod accedit cognitio reflexiua, qua Deus nouit  
suum decretum de ipso ad existentiam perducendo. Nec alio opus est di-  
uinae praescientiae fundamento.

XIV. Quod si scientia simplicis intelligentiae restrictius sumatur, nem-  
pe vt agat de veritatibus possibilibus et necessariis; tunc scientia media  
est, quae de veritatibus possibilibus et contingentibus, et scientia visionis,  
quae de veritatibus contingentibus et actualibus agit.



XV. Vt sapientia, seu veri cognitio est perfectio intellectus, ita bonitas, seu boni appetitio est perfectio voluntatis. Et omnis quidem voluntas bonum habet pro obiecto, saltem apparens, at diuina voluntas non nisi bonum simul et verum.

XVI. Ad voluntatis naturam requiritur libertas, quae consistit in eo, vt actio voluntaria sit spontanea, ac deliberata, atque adeo vt excludat necessitatem, quae deliberationem tollit.

XVII. Necessitas excluditur metaphysica, cuius oppositum est, impossibile; seu implicat contradictionem; sed non moralis, cuius oppositum est inconueniens. Etsi enim Deus non possit errare in eligendo, adeoque eligat semper quod est maxime conueniens, hoc tamen eius libertati adeo non obstat, vt eam potius maxime perfectam reddat. Obstaret si non nisi vnum foret voluntatis obiectum possibile, seu si vna tantum possibile rerum facies fuisset, nec sapientia bonitasque agentis laudari posset.

XVIII. Itaque errant, aut certe incommode admodum loquuntur, qui ea tantum possible dicunt, quae actu fiunt, seu quae Deus elegit\*.

XIX. Voluntas diuidi potest, in antecedentem seu praeuiam, et consequentem seu finalem, siue quod idem est, in inclinatoriam et decretoriam. Illa minus plena, haec plena vel absoluta est.

XX. Voluntas antecedens omnino serua est, et pura, non confundenda cum velleitate, vbi quis vellet si posset, velletque posse, quae in Deum non cadit; nec cum voluntate conditionali. Tendit autem voluntas antecedens in Deo ad procurandum omne bonum, et ad repellendum omne malum, quatenus talia sunt, et proportionem gradus, quo bona malaue sunt.

XXI. Voluntas consequens oritur ex omnium voluntatum antecedentium concursu, vt scilicet, quando omnium effectus simul stare non possunt, obtineatur inde quantus maximus effectus per sapientiam et potentiam obtineri potest. Haec voluntas etiam decretum appellari potest.

XXII. Voluntates antecedentes non omnino irritae sunt, sed efficaciam suam habent, qui, etsi effectus earum obtinetur, non semper sit plenus, sed per concursum aliarum voluntatum antecedentium restrictus. At voluntas decretoria ex omnibus inclinatoriis resultans, semper plenum effectum fortitur, quoties potentia non deest in volente, quemadmodum certe in Deo deesse nequit. Neque vero aliquid felicitati perfectionisque volentis Dei decedit, dum non omnis eius voluntas effectum plenum fortitur: quia enim bona non vult, nisi pro gradu bonitatis, quae

in

\* Innuat Diodorum Stoicum, Abaelardum, Wiclefium, Hobbium,



in vnoquoque est, tum maxime eius voluntati satisficit, cum optimum resultans obtinetur.

XXIII. Porro voluntas diuiditur in productiuam circa proprios actus, et permissiuam, circa alienos. Quaedam enim interdum permittere licet, id est, non impedire quae facere non licet; et permissivae voluntatis obiectum proprium non id est, quod permittitur, sed permissio ipsa.

XXIV. Bonum et malum, seu ratio volendi triplex est, metaphysicum, physicum, morale.

XXV. Metaphysicum generatim consistit in rerum etiam non intelligentium perfectione et imperfectione.

XXVI. Physicum accipitur speciatim de substantiarum intelligentium commodis et incommodis, quo pertinet malum poenae.

XXVII. Morale de earum actionibus virtuosis et vitiosis, quo pertinet malum culpae: et malum physicum hoc sensu a morali oriri solet, et si non semper in iisdem subiectis sed haec tamen, quae videri possit, aberratio cum fructu corrigitur, ut innocentes nolent passi non esse.

XXVIII. Deus vult bona per se antecedenter ad minimum; nempe tam rerum perfectiones in vniuersum, quam speciatim substantiarum intelligentium omnium felicitatem et virtutem, et vnumquodque bonorum pro gradu suae bonitatis.

XXIX. Mala et si non cadant in voluntatem DEI antecedentem, nisi quatenus ea ad remotionem eorum tendit, cadunt tamen interdum, sed indirecte, in consequentem: quia interdum maiora bona ipsis remotis obtineri non possunt, quo casu remotio malorum non plane perducitur ad effectum, et consistens intra voluntatem antecedentem, non prorumpit in consequentem.

XXX. Mala metaphysica et physica, velut imperfectiones in rebus, et mala poenae in personis interdum fiunt bona subsidiata, tanquam media ad maiora bona.

XXXI. At malum morale seu malum culpae nunquam rationem medii habet, sed interdum tamen conditionis, quam vocant, sine qua non, siue colligati et concomitantis, id est, sine quo bonum debitum obtineri nequit, sub bono autem debito etiam priuatio mali debita continetur. Malum autem admittitur, non ex principio necessitatis absolutae, sed ex principio conuenientiae. Rationem enim esse oportet, cur Deus malum permittat potius, quam non permittat; ratio autem diuinae voluntatis non nisi a bono desumi potest.

XXXII. Malum culpae nunquam in Deo obiectum est voluntatis productivae, sed tantum aliquando permissivae, quia ipse nunquam peccatum facit, sed tantum ad summum aliquando permittit.



XXXIII. Generalis autem est regula permittendi peccati, Deo hominique communis, ut nemo permittat peccatum alienum, nisi, impediendo ipsemet actum, prauum excitaturus esset.

XXXIV. Deus itaque inter obiecta voluntatis habet optimum, ut finem ultimum; sed bonum ut qualecunque, etiam subalternum; res vero indifferentes itemque mala poenae saepe, ut media; at malum culpae non nisi ut rei alioqui debitae conditionem, sine qua non esset.

XXXV. Communia magnitudinis et bonitatis hic sunt, quae non ex sola bonitate, sed etiam ex magnitudine, id est sapientia et potentia, proficiuntur, facit enim magnitudo, ut bonitas effectum consequatur suum. Et bonitas refertur vel ad creaturas in vniuersum, vel speciatim ad intelligentes. Priore modo cum magnitudine constituit prouidentiam in vniuerso creando et gubernando posteriore, iustitiam in regendis speciatim substantiis ratione praeditis.

XXXVI. Quia bonitatem DEI in creaturis sese generatim exerentem dirigit sapientia, consequens est, prouidentiam diuinam sese ostendere in tota serie vniuersi; dicendumque Deum ex infinitis possibilibus seriebus rerum elegisse optimam, eamque adeo esse hanc ipsam, quae actu existit. Omnia enim in vniuerso sunt harmonica inter se, nec sapientissimus nisi omnibus perspectis decerneret adeo non nisi de toto. In partibus singulatim sumtis voluntas praeuia esse potest, in tota decretoria intelligi debet.

XXXVII. Accurate loquendo vnicum tantum fuit decertum Dei, ut haec scilicet series rerum ad existentiam veniret.

XXXVIII. Immutabile est decretum Dei, quia omnes rationes quae ei obiici possunt, iam in considerationem venerunt, sed hinc non alia oritur necessitas, quam consequentiae, quam hypotheticam vocant, ex supposita scilicet praeuisione et praedestinatione, nulla autem subest necessitas absoluta vel consequentis, quia alius etiam rerum ordo possibilis erat, et in partibus, et in toto; Deusque contingentium seriem eligens, contingentiam eorum non mutauit.

XXXIX. Neque ob rerum certitudinem preces laboresque sunt inutiles ad obtinenda futura quae desideramus. Nam in huius seriei rerum, tanquam possibilis repraesentatione apud Deum, antequam scilicet decerni intelligeretur, utique et preces in ea, si eligeretur futurae, et aliae effectuum in ea comprehendendorum causae inerant, et ad electionem seriei, adeoque et ad euentus in ea comprehensos, ut par erat, valere. Et quae nunc mouent Deum ad agendum aut permittendum, iam tum eum mouerunt ad decernendum, quid acturus esset aut permissurus.

XL. Sapientia autem infinita omnipotentis bonitati eius immensae iuncta,



cta, fecit, vt nihil potuerit fieri melius, omnibus computatis, quam quod a Deo sit factum, atque adeo, vt omnia perfecte sint harmonica conspirentque pulcherrime inter se.

XLII. Proinde quotiescunque aliquid reprehensibile videtur in operibus Dei, iudicandum est, id nobis non fati nosci, nec optari a sapiente posse meliora.

XLIII. Vnde porro sequitur, nihil esse felicius, quam tam bono Domino seruire, atque adeo Deum super omnia esse amandum, eique penitus confidendum.

XLIII. Bonitas relata speciatim ad creaturas intelligentes cum sapientia coniuncta iustitiam constituit, cuius summus gradus est sanctitas. Itaque tam lato sensu iustitia non tantum ius strictum, sed et aequitatem, atque adeo et misericordiam laudabilem comprehendit.

XLIV. Est autem vel iustitia specialius sumta, vel sanctitas. Illa versatur circa bonum malumque physicum, aliorum nempe intelligentium, sanctitas circa bonum malumque morale.

XLV. Bona malaque physica eueniunt tam in hac vita, quam in futura: In hac vita magna malorum pars fluit ex culpa hominis; aliae profunt et compensabuntur.

XLVI. In futura vita, quamuis pauci sint electi, tota amplitudo regni coelestis non est ex nostra cognitione aestimanda, cum tanta gloria beatorum esse possit, vt mala damnatorum comparari cum hoc bono non possint. Nihilque prohibet vel soles, vel maxime regionem trans soles, vt in nostra sit tellure habitari felicibus creaturis. Itaque argumentum a multitudine damnatorum non est fundatum, nisi in ignorantia nostra. Poenae etiam damnatorum ob perseuerantem eorum malitiam perseuerant.

XLVII. Obiectiones contra sanctitatem Dei seu circa perfectionem ad bona malaque moralia aliorum relata, desumptae ex concursu Dei ad malum morale ex supra dictis commode solui possunt.

XLVIII. Nempe permissio peccati est licita, seu moraliter possibilis, cum debita, seu moraliter necessaria inuenitur. Id de Deo intelligendum est *θεοπροπητός*, quando aliter suis perfectionibus derogasset. Si Deus optimam vniuersi seriem, in qua peccatum intercurrit, non elegisset, admisset aliquid peius omni creaturarum peccato, nam propriae perfectioni, et quod hinc sequitur, alienae etiam derogasset: diuina enim perfectio a perfectissimo eligendo discedere non debet cum minus bonum habeat rationem mali.

XLIX. Nihil perfectionis et realitatis pure positivae est in creaturis earumque actibus bonis et malis, quod non Deo debeatur, sed imperfectio



actus in priuatione consistit, et oritur ab originali limitatione creaturarum, quam iam tum in statu purae possibilitatis, id est in ideis Dei, habent ex essentia sua: nam quod limitatione careret, non creatura sed Deus foret. Limitata autem dicitur creatura, quae terminos perfectionis habet. Ita fundamentum mali est necessarium, sed ortus tamen contingens; id est, necessarium est, ut mala sint possibilea, sed contingens est, ut sint actualia: non contingens autem per harmoniam rerum a potentia transit ad actum ob conuenientiam cum optima rerum serie, cuius partem facit. Sunt itaque bona a Dei vigore, mala a torpore creaturae; et defectu attentionis errat intellectus, defectu alacritatis refringitur voluntas, quoties mens cum ad summum bonum tendere debeat, per inertiam creaturae adhaerescit.

L. Propagatio contagii a lapsu protoplastarum non videtur commodius explicari posse, quam statuendo, animas posterorum in Adamo iam fuisse infectas: idque per praeexistentiam animarum.

LI. Reliquiae diuinae imaginis consistunt tum in lumine innato intellectus, tum etiam in libertate congenita voluntatis. Vtrumque ad virtuosam vitiosamque actionem necessarium est, ut scilicet sciamus velimusque, quae agimus, et possumus etiam ab hoc peccato, quod committimus abstinere, si modo fatis studii adhibeamus.

LII. Lumen innatum consistit tum in ideis incomplexis, tum in nascentibus inde notitiis complexis. Ita fit, ut Deus et lex DEI aeterna inscribatur cordibus nostris, etsi negligentia hominum et affectibus sensualium saepe obscurantur.

LIII. Probatur hoc lumen etiam ex ratione, quia veritates necessariae ex solis principiis menti inlitis non ex inductione sensuum demonstrari possunt. Neque enim inductio singularium vnquam necessitatem vniuersalem infert.

LIV. Libertas quoque in quantacunque humana corruptione salua manet, ita ut homo, etsi haud dubie peccaturus sit, nunquam tamen necessario committat hunc actum peccandi, quem committit.

LV. Libertas exempta est tam a necessitate, quam a coactione. Necessitatem non faciunt futuritio veritatum, nec praescientia et praecordinatio Dei, nec praedispositio rerum.

LVI. Non futuritio: licet enim futurorum contingentium sit determinata veritas, certitudo tamen obiectiua, seu infallibilis determinatio veritatis, quae illis inest, minime necessitati confundenda est.

LVII. Nec praescientia aut praecordinatio Dei necessitatem imponit, licet ipsa quoque sit infallibilis. Deus eim vidit res in serie possibilium ideali, quales futurae erant, et in iis hominem libere peccantem; neque huius



huius seriei decernendo existentiam, mutauit rei naturam, aut, quod contingens erat, necessarium fecit.

LVIII. Neque etiam praedispositio rerum aut causarum series nocet libertati. Licet enim nunquam quicquam eueniat, quin eius ratio reddi possit, neque vlla vnquam detur indifferentia aequilibrii, (quasi in substantia libera et extra eam omnia ad oppositum vtrumque se aequaliter vnquam haberent: cum potius semper sint quaedam praeparationes in causa agente, concurrentibusque, quas aliqui praedeterminationes vocant;) dicendum tamen est, has determinationes esse tantum inclinantes, non necessitantes, ita vt semper aliqua indifferentia siue contingentia sit salua. Nec tantus vnquam in nobis affectus appetitusue est, vt ex eo actus necessario sequatur; nam quamdiu homo mentis compos est, etiamsi vehemētissime, ab ira, fidi, vel simili causa stimuletur, semper tamen aliqua ratio sistendi impetum reperiri potest, et aliquando vel sola sufficit cogitatio exercendae suae libertatis et in affectus potestatis.

LIX. Coactio non est in voluntatis actionibus: etsi enim externorum repraesentationes plurimum in mente nostra possint, actio tamen nostra voluntaria semper spontanea est, ita vt principium sit in agente. Id quod per harmoniam inter corpus et animam ab initio praestabilitam, luculentius, quam haecenus, explicatur.

Potiora haec sunt, quae ad naturalem theologiam referri possunt, reliqua quae attexuit vir acutissimi ingenii et profundarum meditationum, proprie ad reuelatam theologiam pertinent, et cum humanam corruptionem, tum eius emendationem, ordinemque DEI in eligendis fidelibus respiciunt. In illis vero, vt hypothesibus nonnullis inseruiendum sibi esse, ad soluendos hos nodos, quos struxit male curiosa hominum diligentia, vir summus probe vidit, ita factum, vt et ea quae de libertate disseuerit, licet eam magnis conatibus assertum iret, haud paucis displicerent. Quamuis enim necessitatem absolutam a libertate accurate remoueat, putarunt tamen, necessitatem hypotheticam, quae ex antecedente et praedeterminante causa oritur, re ipsa libertatem euertere. Responderunt his viri celeberrimi sectatores, et inter eos imprimis acutissimus BULFINGERVS<sup>1)</sup>, "non eum praedeterminationis sensum apud  
 „Leibnizium esse, qui est apud eos, qui ita praedeterminationem intro-  
 „ducunt, qua posita causa praedeterminante, non potest non sequi effe-  
 „ctus: sed eam tantum hoc loco praedeterminationis, quae et praeordi-  
 „natio vel connexio rerum dici queat, ideam esse, qua posita, facultas,  
 „etsi alterum prae altero eligat in ipso sui exercitio, et constanter qui-  
 „dem; suo tamen id faciat arbitrio possitque in hisce omnibus circum-  
 „stantiis agere aliud atque aliud. Ideoque Leibnizium supra monuisse,  
 „has

1) In Dilucid. phil. S. I. c. 4. §. 28. p. 81.



„has determinationes esse inclinantes tantum non necessitantes, ita ut semper aliqua indifferentia siue contingentia fit salua.“ Sed et alterum illud dogma, quod Baylio Leibnizius opposuit, de mundo optimo innumerarum controuersiarum semina in orbe philosophico et theologico sparsit, longumque esset, scripta ea enarrare omnia, quibus ex utraque parte de hoc argumento decertatum est. Otium ea in re nobis fecit Cel. L V D O V I C I <sup>2</sup> diligentia, qui literariam huius quaestionis historiam scire cupientibus adeundus est. Quo sensu autem mundum praesentem, mali mixtura temperatum ex serie infinitorum mundorum possibilitium Deum velut optimum elegisse dixerit, ex §. XXXI. et sequentibus liquet. Nempe malum etiam ad optimi mundi naturam requiri, indignum videtur viris doctissimis Dei bonitate et iustitia. Ast habent hic quoque, quid regerant Leibnizii sectatores: nempe id voluisse philosophum: seriem contingentium omnium, praesentium, praeteritorum atque futurorum, quam mundus exhibet, optimam esse, quia ab ente et summo bono et sapientissimo conditus mundus est: neque optimum esse definire, licet in eo sit malum, quum et mala ab ente sapientissimo in optimum finem dirigantur. Rationem autem diuinae voluntatis atque electionis non nisi a summo bono sumi posse. Nos in tantis animorum motibus agitata controuersia arbitrii partes non sumimus, qui historiam tantum scribimus, fatemur autem, suspicari nos, viros praestantissimos, qui de hoc argumento disceptarunt, disputationis feruore abreptos occupatosque non se semper fati perspicue accurateque inter se intellexisse. Ceterum ipsum dogma nouum haud est, sed vidit ipse Leibnizius <sup>3</sup>, ut acutissime coniciebat, systema Zoroastris parum abluere, quem ex Mithra non lucem tantum sed et tenebras, id est limitationem et priuationem deduxisse, hincque ex limitatis creaturis mali causam deriuauisse suo loco ostendimus: quamuis fatendum, sobrie magis et prudenter philosophatum fuisse Leibnizium, quam Zoroastrem, qui essentiarum omnium emanationem ex DEI essentia tanquam ex subiecto statuebat, a qua alienum fuisse Leibnizium supra ipsius verbis euicimus. Ipsum vero mundum optimum Deum elegisse, at talem, cui malum ex natura sua, non DEI, insit, fecisseque Deum, quicquid poterat ut malum hoc emendaret, et ad optimos fines dirigeret, ex *κρυπταῖς δόξαις* Platonis fuit, quem ideo LEIBNIZIUS <sup>b</sup> ipse laudauit. Ast longe melius tamen puriusque in eo dogmate asserendo versatus est Leibnizius, qui nec materiam demiurgo adiunxit, nec malum aliter nisi in limitatione et priuatione quaesiuit, cum Plato nescio quam naturam mali positiuam et essentiali materiam tribueret. Ex quo constare potest, quousque in comparatione veteris doctrinae cum Leibniziana sit progrediendum. Nullum autem malum esse in mundo, quod non respectu totius bonum euadat, adeoque mundum hunc esse optimum dixit iam BRUNVS <sup>c</sup>.

§. XXXIX.

z) In Hist. Phil. Leibn. P. II. c. 23. §. 606. sqq. p. 414 sq.

a) Vid. praef. Theodiceae p. 11. 39.

b) Ep. ad Hanseh.

c) De Minimo p. 133.



§. XXXIX. Disputatum quoque est de his et nonnullis aliis metaphysicæ capitibus inter Leibnizium, et qui Newtoni placita sequebatur Clarckium: quæ tota quidem disputatio ex antecedentibus intelligi potest. Quoniam tamen in ea nonnulla occurrunt, in quibus Leibnizius a pristina sententia sibi discedendum putavit, ea quoque hoc loco *ὡς ἐν προόδῳ* tangemus; commendamus autem lectionem ipsam epistolarum a duumviris his acumine metaphysico insignibus scriptarum, quæ in plena luce rem omnem, etiam superiora collocant. Nuper quoque pugnam renouavit ingeniosissimus VOLTAIRIVS, instituta *comparatione inter metaphysicam Leibnizianam et Newtonianam*, quæ negligi prorsus potuisset, cum Newtono, de mathesi et naturali disciplina artibus mathematicis et obseruationibus inædificata immortaliter merito nunquam in mentem venerit, systema metaphysicum condere <sup>d</sup>. Quoniam tamen, quod argumentis et rationibus parum valuit, ingenii elegantia efficere conatus est, laudanda est doctissimi KÄHLII industria, qui Leibniziana dogmata de Deo, de spatio et duratione, de libertate Dei, de principio rationis sufficientis, de libertate hominis, de religione naturali, de anima eiusque commercio cum corpore, de origine perceptionum, de materia et elementis siue monadibus, de vi actiua in apicum posuit, et vindicare ab insultibus Voltairianis studuit <sup>e</sup>. Eum itaque illos consulere iuuat, qui de hac controuersia notitiam paulo ampliorem cupiunt. Nos instituti memores paucas quasdam assertiones notamus, quæ ad cognoscendam metaphysicam Leibnizianam pertinent. Sunt vero istæ:

I. Vis in operibus diuinis semper eadem subsistit, transitque ex materia in materiam, secundum leges naturæ, et pulcherrimum ordinem præstabilitum. Quando itaque Deus facit miracula, fit id non naturæ sed gratiæ causa. Qui aliter iudicat, abiecte de sapientia et potentia Dei sentit <sup>f</sup>.

II. Non mathematica principia sed metaphysica opponenda sunt impietati materialistarum <sup>g</sup>.

III. Fundamentum omnium veritatum mathematicarum est principium contradictionis siue identitatis, vt vero mathesis traducatur ad physicam, opus adhuc est principio rationis sufficientis.

IV. Quo plus est materiæ in mundo, eo plus habet occasionis Deus, exercendæ sapientiæ et potentiæ suæ <sup>h</sup>. Vacuum itaque sine ratione sufficienti ponitur.

V. Ratio omniscientiæ diuinæ non est sola præsentia, sed et operatio; conseruat enim res actione illa, quæ perpetuo id producit, quicquid in eis et bonitatis et perfectionis.

#### VI. Crea-

d) Legi merentur, quæ de natura et indole philosophiæ Newtonianæ differit ROGERVS COTESIVS in præf. Principiis phil. præmissa.

e) Prodiit Examen comparationis Voltairianæ Gottingæ 1741. 8.

f) T. I. Rec. Ep. I. p. 4.

g) Ep. II. p. 13.

h) ib. p. 16.



VI. Creaturae opus habent influxu Dei perpetuo, sed non ad emendandam et corrigendam mundi machinam; Deus enim qui praeuidit omnia, etiam in antecessum medicinam attulit; est enim in operibus eius pulchritudo praestabilita <sup>i</sup>.

VII. Qui spatium pro ente quodam absoluto habent, ingentibus difficultatibus premuntur, sequitur enim, debere esse ens aeternum et infinitum, adeoque ipse DEVS. At Deus spatium habet partes, adeoque Deus esse nequit <sup>k</sup>.

VIII. Spatium itaque est relatiuum quid, vt tempus. Nempe spatium est ordo coëxistentium, vt tempus ordo successionum.

IX. Quod supernaturale est, omnes creaturarum vires superat, hinc miracula <sup>l</sup>.

X. Simplex voluntas sine ratione mouente est figmentum, et contradictorium, naturaeque voluntatis aduersum, et perfectioni diuinae contrarium.

XI. Animae non operantur in corpora, nisi quatenus conspirant corpora cum eorum appetitu per harmoniam praestabilitam <sup>m</sup>.

XII. Nemo nouas vires potest naturae addere praeter Deum, idque tantum facit supernaturaliter.

XIII. Imagines, quibus anima immediate afficitur, sunt in ea ipsa, sed conspirant cum corpore; praesentia animae autem imperfecta tantum est, nec potest aliter explicari, quam per harmoniam et concordiam.

XIV. Qui contendunt vires actiuas et viuentes minui in mundo, neque primarias naturae leges, neque pulchritudinem operum diuinorum intelligunt <sup>n</sup>.

XV. Dantur miracula, quae minora vel inferiora dici possunt, quaeque efficere angelus potest; quae vero supra omnem naturae virtutem sunt, e. g. creare et annihilare, Deo soli competunt.

XVI. Quod necessarium est, tale est per essentiam suam, quia oppositum contradictionem implicat; quod autem contingens est, debet existentiam suam principio melioris, quae est ratio sufficiens rerum <sup>o</sup>.

XVII. Inde sequitur rationes mouentes inclinare, non cogere, esseque certitudinem infallibilem, non vero necessitatem absolutam in contingentibus.

XVIII. Voluntas nostra non sequitur semper praecise intellectum practicum, potest enim inuenire rationes suspendendi iudicium, donec rem altius expendit <sup>p</sup>.

XIX. Res relatiuae, non minus quantitatem habent quam absolutae. Hinc quamuis tempus et spatium relationes sunt, possunt tamen esse quantae <sup>q</sup>.

XX. Non

i) pag. 18. k) Ep. III. p. 31. l) pag. 30. m) Ep. IV. p. 57. n) pag. 50.  
o) Ep. V. p. 85. p) pag. 86. q) p. 115.



XX. Non dantur substantiae creatae, quae omni prorsus materia carent; nam angelos quoque et intelligentias, quamuis incorporeas, et crasso corpore destitutas, subtilius corpus habere vetus est et vera sententia <sup>r</sup>.

XXI. Materia et spatium idem non sunt; verum non est spatium, ubi non est materia, nec est illud aliquid reale absolutum. Differunt spatium et materia, sicut tempus et motus; quamuis autem diuersa sint, nunquam tamen separantur.

XXII. Neque tamen inde sequitur, materiam esse aeternam et necessariam, nisi supponatur falso et inepte, spatium esse aeternum et necessarium.

XXIII. Hypothesis atomorum et corporum similiarum evertitur per principium indiscernibilem.

XXIV. Ab extensione ad durationem non valet consequentia.

XXV. Si natura rerum vniuersi est, vt vniiformiter perfectio earum crescat, necessario inde fluit, vniuersum habuisse initium <sup>r</sup>.

XXVI. Initium mundi non derogat infinitae eius durationi a parte post, sed limites vniuersi derogant infinitati extensionis eius. Conuenit itaque magis auctori rerum infinito, ponere rerum initium, quam limites eius admittere.

XXVII. Aeternitas mundi non tollit eius dependentiam a Deo.

XXVIII. Causa harmoniae vniuersalis quaerenda est, in natura substantiae simplicis, siue monadis verae, quae in eo consistit, vt status sequens exoriatur ex statu antecedente <sup>r</sup>.

XXIX. Omne agens quod sequitur causas finales est liberum, licet conspiret cum eo, quod agit modo per causas efficientes sine cognitione, siue per machinam, quia Deus, qui praeuidit, quid causa libera susceptura sit, ita disposuit machinam, vt non possint non harmonice conspirare.

XXX. Supernaturale est, quando corporum vniuersitas nouam vim accipit, sicque corpus aliquod nouas vires nanciscitur, et tamen alia tot virium non amittunt <sup>v</sup>.

XXXI. Sine creaturis immensitas et aeternitas Dei locum non habuissent, nempe sine vlla dependentia temporis et loci; si enim creaturae nullae essent, esset nec tempus, nec locus, adeoque nec spatium actuale <sup>r</sup>.

XXXII. Immensitas Dei est independens a spatio, vt aeternitas a tempore. Id vero tantum inuoluunt, Deum respectu istarum rerum praesentem et coexistentem rebus esse existentibus omnibus. Si itaque Deus solus existeret, non existerent tempus et locus, nisi vt possibilia, in ideis diuinis <sup>r</sup>.

Kkk 2

XXXIII.

1) p. 119.

e) Ep. V. p. 124.

t) p. 131.

v) p. 133.

x) p. 138.

y) p. 139.



XXXIII. Immenfitas et aeternitas Dei aliquid maius et eminentius involuunt, quam durationem et extensionem creaturarum, cum in relatione ad magnitudinem, tum in relatione ad naturam rei. Nec opus habent re quadam extra Deum fita, vt sunt tempus et locus, quae actu existunt.

XXXIV. Subiiciendae sunt attractiones, et operationes aliae, quae explicari nequeunt per naturam creaturarum: illae enim aut miraculum supponunt, aut qualitates Scholasticorum occultas, quae nos in regnum tenebrarum retrahunt.

XXXV. Qui principium rationis sufficientis negat, ad absurdum compulſus eſſe recte creditur.

*Iuris naturalis  
praecepta  
Leibniziana.*

§. XL. Moralis philoſophiae praecepta non tradidit Leibnizius, fundamenta tamen eius in fine monadologiae tetigit, quae inde repetenda. Quae vero ad iuris naturae diſciplinam et virtutis inter homines exercendae rationem requirantur, his aſſertionibus explicuit <sup>z</sup>.

I. Ius eſt quaedam potentia moralis, et obligatio neceſſitas moralis. Intelligitur autem moralis, quae apud virum bonum aequipollet naturali.

II. Vir bonus autem eſt, qui amat omnes, quantum ratio permittit.

III. Iuſtitia igitur, quae virtus huius affectus reſtrix eſt, quem Graeci *Φιλανθρωπίαν* vocant, eſt caritas ſapientis, hoc eſt, ſequens ſapientiae dictata.

IV. Caritas eſt benevolentia vniuerſalis, et benevolentia amandi ſiue diligendi habitus.

V. Amare eſt felicitate alterius delectari, vel felicitatem alterius adſciſcere in ſuam.

VI. Nempe quum res pulchra ſimul felicitatis eſt capax, tranſit affectus in verum amorem.

VII. Superat autem diuinus amor alios amores, quod Deus cum maximo ſucceſſu amari poteſt, quando Deo ſimul et felicius nihil eſt, et nihil pulchrius felicitateque dignius intelligi poteſt. Et quum idem ſit potentiae et ſapientiae ſummae, felicitas eius non tantum ingreditur noſtram, ſi ſapimus, id eſt, ipſum amamus, ſed et facit.

VIII. Sapientia nihil aliud eſt, quam ipſa ſcientia felicitatis.

IX. Ex hoc iam fonte fluit ius naturae, cuius tres ſunt gradus, ius ſtrictum in iuſtitia commutatiua, aequitas, vel, anguſtiori ſenſu, caritas in iuſtitia diſtributiua; denique pietas vel probitas in iuſtitia vniuerſali.

X. Inde peruulgata iuris praecepta naſcuntur: neminem laedere, ſuum cuique tribuere, honeſte, vel potius pie, viuere.

XI. Iuris meri ſiue ſtricti praeceptum eſt, neminem laedendum eſſe,  
ne

<sup>z</sup>) In Praef. ad Cod. I. G. diplomaticum.



ne detur ei in ciuitate actio, extra ciuitatem ius belli. Hinc nascitur iustitia commutatiua.

XII. Superior gradus vocari potest aequitas, vel si maius caritas, quae ultra rigorem iuris meri, ad eas quoque obligationes porrigitur, ex quibus actio iis, quorum interest, non datur, qua nos cogant.

XIII. Quemadmodum infimi gradus est, neminem laedere, ita medii est, cunctis prodesse, sed quantum cuique conuenit, aut quantum quisque meretur, quando omnibus fauere non licet.

XIV. Itaque huius loci est iustitia distributiua, et praeceptum iuris, quod suum cuique tribui, iubet.

XV. Atque huc in republica politicae leges referuntur, quae felicitatem subditorum procurant, efficiuntque passim, ut qui aptitudinem tantum habeant, acquirant facultatem, ut petere possint, quod aliis aequum est praestare. In hoc gradu merita ponderantur, unde priuilegia, praemia, poenae locum habent.

XVI. Ex his constat aequitatem nobis in negotiis strictum ius, id est, hominum aequalitatem, commendare, nisi cum grauis ratio boni maioris ab eo recedi iubet. Personarum autem, quae vocatur, acceptio, suam non in alienis bonis commutandis, sed in nostris vel publicis distribuendis sedem habet.

XVII. Supremus iuris gradus probitatis vel pietatis nomine venit. Ius enim strictum miseriam quidem vitat, ius superius ad felicitatem tendit, sed qualis in hanc mortalitatem cadit: et, intra mortalis vitae respectus coercetur.

XVIII. Ut vero vniuersali demonstratione conficiatur, omne honestum esse vtile, et omne turpe damnosum, assumenda est immortalitas animae, aut vniuersi auctor Deus.

XIX. Ita fit, ut omnes in ciuitate perfectissima viuere intelligamur, sub monarcha, qui nec ob sapientiam falli, nec ob potentiam vitari potest, idemque tam amabilis est, ut felicitas sit tali Domino seruire.

XX. Huius potentia prouidentiaque efficitur, ut omne ius in factum transeat, ut nemo laedatur, nisi a se ipso, ut nihil recte gestum sine praemio fit, nullum peccatum sine poena.

XXI. Nihil enim negligitur in hac republica vniuersi.

XXII. Ex hac consideratione fit, ut iustitia vniuersalis appelletur, et omnes alias virtutes comprehendat; quae enim alioqui alterius interesse non videntur, veluti, ne nostro corpore aut nostris rebus abutatur, etiam extra leges humanas, naturali iure, id est, aeternis diuinæ monarchiæ legibus vetantur, quum nos nostraque Deo debeamus, et vniuersi interfit, ne quis re sua male vtatur.



XXIII. Itaque hinc supremum illud iuris praeceptum vim accepit, quod honeste, id est, pie vivere iubet.

XXIV. Praeter aeternae naturae rationalis iura ex diuino fonte fluentia ius etiam voluntarium habetur, receptum moribus, vel a superiore constitutum.

XXV. Et in republica quidem ius civile ab eo vim accepit, qui summam potestatem habet, extra rempublicam vero inter eos, qui summae potestatis participes sunt, locus est iuri gentium voluntario tacito populorum consensu recepto.

XXVI. Non vero necesse est, ut sit omnium gentium vel omnium temporum, non enim omnia omnibus placent.

XXVII. Basis iuris fecialis inter ipsum naturae ius est.

XXVIII. Personam iuris gentium habet, cui libertas publica competit, ita ut in alterius manu de potestate non sit, sed per se ius armorum foederumque habeat, quanquam forte obligationum vinculis superiori sit adstrictus, et homagium, fidem, obedientiam profiteatur.

XXIX. Quod si magna sit eius auctoritas, potentatus nomine venit, unde suprematus exurgit, qui tamen superiorem in republica non excludit.

XXX. Suprematum habere creditur, qui satis et libertatis et potentiae habet, ut rebus gentium per arma et foedera cum auctoritate interuenire possit.

XXXI. In liberis rebus publicis civilis persona ad instar naturalis intelligitur, quoniam voluntatem habet.

XXXII. Quod si legibus fundamentalibus non satis prouisum sit reipublicae, ut ad certam eius voluntatem perueniri possit, habet aliquid irregularitatis forma eius.

XXXIII. Actus sunt vel dispositiones iure efficaces, vel pertinent ad viam facti.

XXXIV. Qui iuris effectum habent, sunt extraiudiciales vel iudiciales; atque illi vel ab vno latere fiunt, ut testamenta, vel sunt conuentiones.

